
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
3 A
28




TYROCINIVM ELOQVENTIÆ, SIVE RHETORICA NOVA, ET FACILIOR.



Sic verbis non redundans,
Vt eloquentiæ præceptionibus abundet;
Sic Aphtonij Progynasmata, Et Soarij Rhetoricam amplectens. Vt præstantissimorum Rhetorum, qui hactenus de Eloquentia scripserunt, Vniuersam artem facili methodo suppeditet,
Sic denique Rhetoribus vtilis,
Vt humanistis commoda sit, & supremæ Scholę Grammatices Auditoribus non inutilis.

AVTHORE
P. CAROLO PAIOT
Parisino è Societate Iesu.

Vltima Editio.



VENETIIS. M. DC. LXXV.

Typis Stephani Curtij.
Superiorum permissu, & Priuilegio.





VSVS

Tyrocinij Eloquentiæ,

Ad illius candidatum.

CHARISSIME ADOLESCENS *hactenus* Grammaticæ Latinæ, & Græcæ præcepta, cum vtriusque linguæ Dictionario, & Arte Poetica, *Quantum in me fuit, facili methodo exposita tibi obtuli, nec laborem meum repudiasti: Nunc ab eadem hac beneuolentia tua*, Tyrocinium Eloquentiæ, *Grato animo acceptum iri spero:* Tyrocinium *Inquam, quod eiusmodi est, vt nihil ferè omittat, suaque verborum paucitate præceptiones penè omnes artis oratoriæ sine fastidio complectatur.*

Atque vt laboris me facilior tibi sit vsus, Rhetoribus, Humanistis,

§ 2 & supre-

& supremæ Scholæ Grammatices Auditoribus *Laborasse me fortè non inficiaberis. Non enim video, qui fieri possit, vt amplificationem oratoriam quis scribat, nisi periodum, & verborum structuram nouerit, nisi figuras vsurpet, nisi partes oratorias sciat: cum nec exordio, nec epilogo carere omnis oratoria exercitatio vix debeat.*

Quapropter si me DISCIPVLI SVPREMÆ SCHOLÆ GRAMMATICES *audient, cum post ferias paschales latinitatis potissimùm operam Nauare soleant,* Librum quartum de Elocutione *consulent, Eiusque præcepta de* Periodo *memoriter addiscent, & longiores figuras vel Latinè, vel gallicè, ad imitationem Ciceronis scribent vt in sequentibus Scholis stylum oratorium nullo negotio sibi comparare possint.*


HVMANISTIS *author sum,* 1. *Vt, priore Semestri, repetito* libro quarto de Elocutione, *legant, addiscant* librum tertium de Dispositione, *Sic tamen, vt solas definitiones, diuisiones, & præceptiones memo-*

memoriæ mandent, cætera verbis ſuis explicare ipſi conſueſcant, ſeque exerceant in ſcribendis amplificationibus oratorijs ſecundum Apthonij methodum, quam breuiter, & clarè ſuis locis expoſui, ſed ita, vt exempla Ciceroniana, quæ imitentur iuxta triplex genus cauſarum ſibi preponant. 2. Vt poſteriore ſemeſtri Librum primum de imitatione, & ſecundum de inuentione *Pariter legant, addiſcantque ſolas definitiones, & diuiſiones locorum Rhetoricæ, varioſque modos tractandi eos ſic intelligant, vt eoſdem ad propoſitam materiam ipſimet accommodent.*

RETORES *denique, quorum præcipua cura eſſe debet, vt Tulliani fiant, ſic præceptionum Eloquentiæ memoriam redintegrabunt, vt* Imitationem, Inuentionem, Diſpoſitionem, & Elocutionem Oratoriam *ad frequentiorem, & grauiorem Orationis ſcriptionem redigant. Deſiderarémque ab ijs vt priuato labore exempla Ciceroniana, quæ breuitatis cauſa ferè tantum notaui, legerent in ipſo Cicerone, & in appoſita charta ad*

ſingula folia huiuſce Tyrocinij exscriberent, eo ſcilicet conſilio, vt crebra lectione familiarem haberent Ciceronem.

Quod ſi quis ex me quærat, quare non ſecutus fuerim ordinem, quem præſcribo, probabitur, vt opinor, reſponſio mea, nimirum, quòd præcipuè Rhetoribus ſeruire voluerim, quorum hæc eſſe ſolet artis Oratoriæ diſpoſitio, vt prima pars ſit de Rhetorica in commuui, & Imitatione; *ſecunda* de inuentione locorum, & motuum; *tertio* de Diſpoſitione tum partium orationis tum triplicis generis cauſarum; *quarta* de Elocutione complectente periodum, & figuras; *quinta* de Memoria, *ſexta denique* de pronunciatione.



SYNOPSIS ALPHABETICA PRÆCEPTIONVM ELOQVENTIÆ.

A

Be-

B

C

§ 6 de-

E

Vi-

Exor-

Fi-

Eius-

L

Dei.

Ab

M

N

Obiur-

O

P

Pere-

Quæstio-

Q

R

S

Sori-

V

FINIS.

TYROCINIVM ELOQVENTIÆ, SEV RHETORICA, NOVA ET FACILIOR,



Complectens Aphthonij progymnasmata, Soarij præcepta, & præstantissimorum Rhetorum Obseruationes.

LIBER PRIMVS.

De Arte Oratoria.

CAPVT PRIMVM.

De Natura Rhetorica.



Hetoricæ nomen duplex eſt; alterum Græcum, alterum Latinum; Grçcè dicitur Rhetorica, Latinè Oratoria. Vtrumque nomen naturam huius diſciplinæ, quam pertractamus, clarè ſignificat. Rhetoricæ nomen.

Sophiſtica, non eſt propriè Rhetoririca, ſed per abuſum illi nomen Rhetoricæ tribuitur; quamuis apud veteres Gal- Quid Sophiſtica.

los pro Rhetorica sumpta fuerit; & apud Strabonem legatur Isocratem inter Sophistas numeratum fuisse. Quapropter Colligere licet Rhetoricam, & Sophisticam differre tantum accidentariò, non secundùm naturam.

Rhetorica est duplex

Vera autem Rhetorica duplex est, Naturalis, & Artificialis.

Naturalis.

Naturalis, est facultas dicendi à Natura indita.

Artificialis.

Artificialis, est ea quæ præceptis acquiritur, Estque ars bene dicendi, Quia dat certas preceptiones ad ornatè pariter, & copiosè dicendum.

Rhetoricæ artificialis officium & finis.

Huius Rhetoricæ Officium est dicere appositè ad persuadendum; Finis, persuadere.

Vtriusque discrimen.

Inter officium, & finem hoc interest, quod officium significet id quod facere orator debet, finis verò id quod intendit.

Dicere appositè ad persuadendum, tria complectitur docere, delectare, flectere.

Docere, necessitatis est.

Delectare, suauitatis.

Flectere, victoriæ.

Rhetoricæ materia

Eiusdem Rhetoricæ materia, est omnis quæstio, siue sit thesis, siue hypothesis.

Thesis.

Thesis rem continet vniuersalem, & infinitam. V.G. Studendum esse linguis.

Hypothesis.

Hypothesis rem singularem, & finitã. V.G. Studendũ esse linguę Latinę. De vtraq; infrà in diuersis causarum generibus.

Rhe-

Rhetoricæ partes sunt quinque. *Rhetoricæ partes*

Inuentio.

Dispositio.

Elocutio.

Memoria.

Pronunciatio.

Inuentio, est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium quæ causam probabile reddant. *Inuentio.*

Dispositio, est rerum inuentarum in ordinem distributio. *Dispositio.*

Elocutio est idonea verborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio. *Elocutio.*

Memoria est firma orationis perceptio. *Memoria.*

Pronunciatio est vocis, & gestus apposita moderatio. *Pronunciatio.*

AdRhetoricam sibi comparandam tria sunt necessaria; Ars, Imitatio, Exercitatio. *Quid adRhetoricā, requiratur.*

Ars dat præcepta, quibus instructi certam viam rationemque dicendi ineamus. *Ars.*

Imitatio facit, vt cum diligenti ratione peritorum Rhetorum similes in dicendo velimus esse. *Imitatio.*

Exercitatio est assiduus vsus, consuetudoque dicendi *Exercitatio.*

Rhetorica, & Dialectica conueniunt in eo, quod vtriusque disciplinæ finis sit persuadere, & rei dubiæ fidem facere: Differunt verò ab inuicem in eo, quod *Rhetoricæ, & Dialecticæ paritas & discrimen.*

dissimilem dicendi rationem sequantur. Quare Zeno Dialecticam comparabat manui compressæ, Rhetoricam extensæ: quia illius Oratio breuior est, huius fusior & latior.

CAPVT II.

De Imitatione.

Imitationis definitio.

IMitatio est expressio rationis, quam is, quem imitamur, in opere suo perficiendo tenuit.

Imitationis præceptiones

Imitationis hæ sunt præceptiones.

1. Vt moderata sit.
2. Vt præstantissimum aliquem nobis oratorem proponamus imitandum.
3. Vt minutiora quæque non imitemur, sed tantùm selectissima, & optima.

Imitationis praxis.

Atque vt illas vias ad praxim readigmus in authore aliquo imitando, V. G. Cicerone, Virgilio, & alijs, hæc tria obseruabimus diligenter.

1. Inuentionem,
2. Dispositionem,
3. Elocutionem.

Imitatio Inuentionis.

Inuentionem imitamur, si rationem, quam tenuit inueniendi, & excogitandi argumenta, sequamur.

Imitatio Dispositionis.

Dispositionem imitamur, si ordinē naturalem, & artificiosum singularum partiū Orationis, & argumentorum obseruemus.

Elo-

Elocutionem denique imitamur, si orationem nostram ijsdem figuris illustremus, si paribus numeris periodos nostras vinciamus; postremò si eadem verborum, & sententiarum varietate sermonem nostrum exornemus. Emitatio Elocutionis.

Ratio imitandi, multiplex est. Fit enim:

1. Cum mutatur quidem sententia, verba autem eadem retinentur. V. G. Cicero dixit. *Non placet Antonio Consulatus meus, at placuit Seruilio.* Sic imitari quis potest. *Non placet negligentioribus discipulis studium assiduum literarum, at placet diligentioribus &c.* vel vt Cicero dixit Ironicè de morte P. Clodij. *P. Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest &c.* sic de alio sincerè dici posset, *Tanti viri mortem æquo animo ferre nemo potest, luget Senatus, mæret Equester Ordo &c.* vel contrario sensu, de aliquo scelerato, *Perditi huius hominis mortem iniquo animo nemo ferre potest, gaudet Senatus, exultat Equester Ordo, tota Europa affecta gaudio est, florent Municipia, eriguntur Coloniæ, agri denique ipsi tam pestiferum tam immanem tam exitiosum virum cecidisse lætantur.* Prima ratio imitandi.

2. Cùm mutantur quidem verba, sed sententia eadem retinetur. Verb. G. Cicero dixit Diuinat. in Verr. num. 37. *De* Secunda ratio imitandi.

te Cæcili, iam extra contentionem certamenque nostrum familiariter tecum loquar: tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam; & in te collige, & qui sis, & quid facere possis considera. Putas ne te posse &c. sic Ciceronem imitabor: *sed de te, nimium pertinax adolescens, iam extra omnem contentionis acerbitatem familiariter tecum loquar: tu quẽadmodum studeas, vide etiam atque etiam; & quis sit progressus tuus, & quos iudices expectaturus sis, considera. Putas ne te posse &c.*

Tertia ratio. imitandi.

3. Cùm mutata simul sententia, & locutione, eundem dicendi tenorem obseruamus. V.G. Cicero dixit pro Milone sect. 2. *Nam illa Præsidia quæ pro Templis, &c.* sic imitari possumus, *Nam illa Castra hostium, quæ pro muris stipata conspicitis, etsi ad vim inferendam &c.*

Quarta ratio. imitandi.

4. Cum sensus, & verba propè eadem, aliquibus insuper additis, retinentur. v.g. Cicero dixit, *Quo vsque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* sic Ciceronis hunc locum imitabor: *Quo vsque tandem abutere, contumax adolescens, præceptoris patientia? Quo vsque animus tuus tot tamque amicis obduratus monitis obstupescet? &c.*

Quinta ratio, imitandi.

5. Cum pro sententia aliam sententiam, pro verbis alia verba eodem ordine, & tenore collocamus. V.G. Cicero dixit.

dixit. *Noui Iudicij noua forma terret oculos &c.* sic imitabor: *Perditissimi viri in audita impietas affligit bonorum animos &c.*

6. Cùm easdem figuras, mutatis verbis, & sententijs, imitamur. V. G. Cicero dixit pro Milone Sect. 15. *Quid porrò quærendum est? factumne sit? at constat? à quò? at patet &c.* sic imitabor. *Ei vero qui velit in virum doctum euadere quid præscribendum censetis? vt studeat? at constat? &c. vt præstantissimos scriptores imitetur? at patet &c.*

Sexta ratio imitandi.

7. Cùm eadem argumenta, & eundem argumentandi, dicendique modum sequimur. V. G. Cicero exordium Orationis suæ pro Milone distribuit in has duas propositiones, *Non debeo timere pro Milone dicturus* En prima propositio. *Nouam tamen formam iudicij me terret.* En secunda, Item, vtramque probat, & amplificat; deinde concludit, sed artificiosè: cum enim sic concludere debuisset, *Etsi timere non debeo, tamen subest aliqua causa terroris,* nihilominis, vt Milonem ac seipsum modestiùs commendaret, ex libertate quadam dicendi, conclusionem ad Iudices conuertit, his verbis, *Quamobrem adeste animis, Iudices, &c. timorem si quem habetis deponite &c.* Cuius conclusionis rationem affert, eamque

Septima ratio imitandi.

amplificat. Hoc artificium Exordij in alia materia potest quis imitari. V. G. pro Argumento sit consolatio de morte fortissimi Ducis: sic Exordium poterit distribui in duas pariter propositiones. *Non debemus gaudere de illustrium virorum morte*. En prima propositio. *Qui tamen patriæ fidelis est, cùm de illius salute agitur, nec quorumcunque nec sui ipsius vitam curare debet*. En secunda propositio, vtraque probanda est, & amplificanda: deinde conclusio conuertetur ad Ciues, quibus probabitur gloriosum esse pro patria mori; suisque rationibus, & amplificationibus illustrabitur hoc exordium, vt, & cæteræ partes orationis, quæ tractari poterunt eodem seruato dicendi modo Ciceroniano in membris periodorum, transitionibus, argumentorum genere, amplificationum vijs, & rationibus cæterisq; Rhetoricæ ornamentis. De hac imitatione plura suis locis exempla suppeditabimus: quod enim hic de vno exordij genere attulimus, potest id accommodari ad cætera alia genera exordiorum, eadem obseruata methodo; item in narrationibus, confirmationibus, confutationibus, perorationibus, Rhetoricis, & alijs OratoriæDisciplinæ instrumentis. Videatur infra vsus Orationum Ciceronis,

De

De praua Imitatione, seu Græcè Cacozelia, hæc pauca sunt obseruanda. Praua imitatio.

1. Cauendum est ne praua nobis exemplaria proponamus.

2. Ne sic imitetur, vt omnia describamus.

3. Ne argumenta omnia ad certa quædam tātùm Imitationis capita referamus.

4. Ne significationem verbis inclusam non magis curemus, quàm ipsa verba.

5. Ne styli nostri rationem ad argumentum non accommodemus.

6. Ne cùm velimus magnos imitari authores, propter ingenij nostri tenuitatem præcipites agamur.

7. Denique ne id quod nobis arrisit in authore, sæpiùs vsurpemus.

Atque vt progressum faciamus, expedit paucos, sed optimos imitari: libri tamen multi ad eruditionem sunt necessarij.

Optimum autem esset rudioribus Rhetoribus vnum legere Ciceronem vt ex eo spiritum eloquentiæ haurirent. Monitio prima.

CAPVT III.

De exercitatione.

Monitio secunda.

CVilibet incumbit necessitas, vt in omni arte se se, suamque naturam frequenter exerceat quia, quod ingenium negat, labor & industria id suppeditant.

Exercitationi, definitio.

Exercitatio est vsus assiduus, & consuetudo meditandi, dicendi, legendi, scribendi, & audiendi. Sic censet Cicero. Meditatio ad Inuentionem potissimum requiritur, quamuis etiam, & conferat ad Dispositionem, & Memoriam.

Lectio, scriptio Inuentioni, Dispositioni, & Elocutioni non parum prosunt. Auditio ferè ad omnes Eloquentiæ partes vtilis est, præcipuè tamen ad pronunciationem.

Dictio quotuplex.

Dictio frequens multùm valet ad eloquentiam.

Dictionis autem genus est duplex, alterum declamatorium, & Oratori maximè conueniens; alterum familiare, & domesticum.

Nō probatur plerisq; tumultuaria, & sine apparatu dictio, nisi fortè in ijs, qui nō parum in Eloquentiæ studio profecerunt.

Familiaris dictio Eloquētiam adiuuat, nisi omninò corrupta sit; expedit enim non tantùm posse loqui de rebus sublimibus, & de ijs ornatè dicere, sed etiam de rebus minimis, & familiari stylo.

Eruditio.

Lectione similiter Orator perficitur, quia eruditio est quasi Orationis medulla. Acquiritur autem eruditio lectione probatissimorum Authorum.

Stylus.

Stylus denique est optimus, & præstantissimus dicendi effector, & magister: de hoc infrà in Elocutione.

LI-

LIBER II.

De Inuentione.



NUentio est pars Eloquentiæ ad eas res omnes excogitandas, quæ ad persuadendum valent, acommodata. Inuentionis fontes multi sunt. Inuentionis definitio inuentionis fontes.

1. Eruditio.
2. Historia.
3. Apologi, & Parabolæ.
4. Adagium, seu, Parœmia.
5. Symbola, Ænigmata, & Hieroglyphica.
6. Emblemata.
7. Testimonia Veterum.
8. Sententiæ.
9. Leges.
10. Sacræ Literæ.
11. Denique ingenij vis,& ratiocinatio.

Inuentionis duæ sunt partes præcipuæ. Inuentionis partes.

Altera est vis inueniendi argumenta, quæ fidem causæ faciant.

Altera vis excogitandi motus, qui ad causam idonei sint.

Ad Inuentionem quatuor desiderantur; Acumen, Diligentia, Ars, & Iudicium. Quæ sint ad inuentionem necessaria.

Acumen est à natura.

Diligentia quot requirat.

Diligentia quatuor desiderat?

1. Vt quæstionem, quam pertractamus, clarè penitusque cognoscamus, & argumenta idonea, motusque conuenientes excogitemus.

2. Vt aduersarium attentè audiamus, illiusque gestus, os, & vrba consideremus.

3. Vt animo percurramus Locos Rhetoricæ ad faciliorem delectum.

4. Vt abiectis omnibus alijs cogitationibus in vnam nostram causam incumbamus.

Ars duplex est.

Altera singularis, & maximè propria Oratoris.

Altera magis generalis, & communis.

Ars singularis.

Ars singularis, est quando Causæ seu Quæstiones in singula genera distribuuntur, ipsisque singulis generibus sua propria argumenta accommodantur. V. G. Generi Iudiciali, argumenta à causis, vel ab euentis, hoc est, ab vtili, ab odio, à spe, &c. Vide Orat. pro Milone.

Ars generalis.

Ars generalis, & communis, est quando non propria cuique generi argumenta vsurpamus.

Ars prior posteriori ante ponenda est, quia hæc magis spectat ad Topicam, quàm ad Rhetoricam.

Inuentionis Materia.

Materia Inuentionis duplex est.

1. Argumenta quæ fidem faciunt.

2. Motus qui delectant, & flectunt.

Intel-

Intellectus enim, & voluntas pasci debent.

Argumentum est probabile inuentum ad faciendem fidem. Vel, est ratio rei dubiæ faciens fidem. Ita Cicero. Argumenti definitio.

Argumenta illa, quæ necessariam habent affinitatem cum re, faciunt scientiam: Illa verò quæ habent tantùm contingentem & probabilem, generat opinionem. Argumenta. Logicà

Prior connexio pertinet maximè ad Logicam.

Posterior ad Rhetoricam. Argumenta. Rhetorica.

Probabile argumentum illud est ex Aristotele quod probatur vel omnibus vel plerisque. Id autem non semper verum est. Probabile argumentum.

Probabile à verisimili differt in eo quòd probabile latiùs pateat, quàm verisimile: verisimile enim cõtinetur sub probabili tanquam species sub genere: Cum probabile tres habeat species quarum. Probabile differta verisimili.

Prima, est verisimilium, quæ plerumque accidunt, non tamen semper. Tres probabilis species.

Secunda, est eorum quæ semper fiunt, dubitationis tamen aliquid habent, quia plerisque tantum, ita videtur.

Tertia, denique eorum est, quæ nunquam ita fiunt, quia prorsus falsa sunt, putantur tamen ita fieri.

Topica denique est vis, & ratio inueniendi argomenta per Locos. Quid Topica

Loci

Loci autem ex frequenti, & assiduo vsu, qui totus fuit in ad inueniendis argumentis, profecti sunt. Vnde loci Rhetorici sunt quasi quædam receptacula seu Notæ argumentorum, quæ afferri possunt ad faciendam fidem.

Vnde loci Rhetorici.

De Locis Rhetoricis.

Locus Rhetoricus est id vnde ad propositam quæstionem conueniens argumentum duci potest.

Loci Rhetorici definitio.

Duplex est locorum Rhetoricæ genus.

Alterum est locorum Intrinsecorum seu Insitorum, *hoc est*, rerum quæ ipsi rei, de qua quæstio est, quodammodo insitæ sunt, & intrinsecæ

Loci Intrinseci.

Alterum est locorum Extrinsecorum seu Remotorum, *hoc est*, rerum quæ ab Oratore non excogitari quidem debent, sed artificiosè tractari.

Loci extrinseci.

De Locis Intrinsecis.

Loci Intrinseci, & insiti sunt sexdecim.

Loci Rhetorici sunt sexdecim.

A Definitione, a notatione, ab enumeratione partium, à coniugatis à genere, à specie, seu forma, à similitudine, à dissimilitudine, ab oppositis, ab adiunctis, ab antecedentibus, & consequentibus, à repugnantibus à causis, ab effe-

ctis,

ctis, à maiori ad minus vel à minori ad maius, denique à pari,

Ex his alij sunt à toto, nempe definitio, notatio, & partium enumeratio.

Alij sunt affecti, hoc est affinitatem naturalem habent ad alterutram partem totius, hi sunt tredecim reliqui.

Locus à definitione.

DEfinitio, est Oratio quæ naturam rei explicat. Definitio quid est.

Quando fit per genus & differentiam ipsius rei: est propria definitio: quando verò fit per quodlibet aliud, est propriè descriptio. V. G. Quando definitio hominem per animal & rationale, est propriè definitio. Quando verò definio eundem hominem per ipsius causas vel effectus aut per quodlibet aliud. V. G. quòd sit animal ad immortalitatem natum, quòd sit imago Diuinæ Maiestatis; est propriè descriptio. Propria definitio. Impropria definitio, seu descriptio.

Definitio per genus & differentiam, spectat potiùs ad Philosophos, quàm ad Rhetores.

Cauendum tamen est, nè prolixior descriptio rem obscuriorem faciat.

Definitio enim debet esse.

1. Dilucida.
2. Breuis.
3. Propria. Definitionis propietates.

Bre-

Breuitas autem desiderat tantum vt nihil superfluum sit, nec deficiens. Propria definitio est quando, quæ rei definitæ tribuuntur, propriè ipsi ea conueniunt. Fieri autem tantùm potest per genus & differentiam. Talis est hæc definitio hominis. *Homo est animal rationis particeps:*

Definitio propria,

Definitio minùs propria, seu descriptio rei fit.

Definitio impropria.

1. Varij modi descriptionis.

1. Per partes ex quibus res ipsa constat, Vt, *Quid est Sphara Archimedis, nisi as concauum varijs circulis Aequatore, Zodiaco, Coluris, Tropicis, Definitore confectum? &c.*

2. Per Causas, vel efficientem. Vt, *Homo est eximium opus à Deo efformatum:* Vel formalem essentialem. Vt, *Homo, est animal rationis vsum habens.* Vel formalem exemplarem, seu idealem. Vt, *Homo est imago Diuinæ Maiestatis.* Vel formalem accidentalem. Vt, *Imago Mercurij caduceum gestat, & alijs instruitur.* vel materialem, vt homo est animal constans ex corpore. Denique finalem. Vt, *Homo est animal ad immortalitatem natum.*

3. Per effectus. Vt cum dicitur, *peccatum est pestis animæ, conscientiæ labes, vitæ pernicies &c.*

4. Per negationem. Vt cum dicitur, *Deus non est pulchrum corpus, sed vnde* pul-

pulchritudo in corpore emanat: non est pulchrum pratum, non pulchrum cœlum, sed vnde omnis pulchritudo.

5. Per affirmationem. Vt cum dicitur, *Curia est Templum sanctitatis, amplitudinis &c.* V Orat. pro Milone. 5.

6. Per affirmationem & negotiationem simul. Vt, *Tu ne Christianum virum putas, qui se in omne vitiorum genus effundat? &c. Ille ille profectò Christianus est, qui totus Christo mancipatus est, qui vexilla Christi sequitur.* 6.

7. Per Synonimiam. Vt cùm dicitur, *Christi crux, est totius beatitudinis causa discordiæ amputatio pacis fundamentum, spes Christianorum, resurrectio mortuorum desperatorum salus.* 7.

8. Per Accidentia. Vt cùm dicitur à Tertull. *Fama est malum quo non velocius vllum.* Vel, *Amor est blandus, inops, &c.* Vel *Mare est hospitium fluuiorum fons imbrium, deriuatio alluuionum.* Vel, *Sol est cœli oculus, diei ornatus, distributor horarum &c.* Vel, *Homo est speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator.* 8.

9. Per contraria Vt, *An vi Religiosus est euersor pietatis? &c.* 9.

10 Per Ironiam Vt, *An tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex ijs qui mercede conducuntur? qui impelluntur vt vim afferant Magi-* 10.

stra-

stratibus &c. O speciem dignitatem quæ Populi Romani quam Reges, quam nationes exteræ, quam gentes vltimæ pertimescant;

11. 11. Per adiuncta. Vt cum dicitur, *Inuidia quid est aliud, quàm larua suo sanguine cruentata, confecta macie horrida, obliquo obtutu oculorum &c.* Vel, *Alter vnguentis affluens, calamistrata coma &c.* Vel, *tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis &c.* Vide pro sext. n. 17.

12. 12. Per similitudinem. Vt cum dicitur; *Mens irati viri, est forum plenum tumultu, vbi multus est euntium & redeuntium clamor, &c.* Vel *Mens tranquilla est vertex quidam montis, qui clementiorem cœli auram nactus est, puros solis radios, limpidas fontium scaturigines multasque florem amœnitates &c.* Vel. *Ambitio est futile malum, secretum virtus doli artifex, ter hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis.*

13. 13. Per Comparationem. Vt cùm dicitur. *Peccatum est omni detrimento perniciosius omni monstro fœdius, omni ignominia turpius &c.*

14. 14. Per negationem, affirmationem, & contrariorum oppositionem simul. Iam de his singulis supra.

15. 15. Denique per res singulares. Vt cùm dici-

dicitur, *Huius viri calamitas est vulnus Reipublicæ, dedecus Imperij*. Vel, *Nero fuit Romæ odium, labes historiæ, monstrum Principatus*. Vel, *Quid est aliud irasci, quàm insanire, quàm furere, quam in vltionem ferri?*

Locus à Notatione.

NOtatio, Græcis est etymologia vel symbolum. Verba enim sunt rerum veluti notæ ac symbola. Notatio.

Quare Notatio definitur Oratio vim vocabuli explicans. Notationis definitio.

Sic autem se habet hic locus, vt ex vi nominis argumentum ducatur. v. g. *Ille est Consul, qui consulit Patriæ: sed illi non consulunt: Ergo non sunt Consules*. Cui enim non conuenit Notatio, huic nec vocabulum conuenit. Vide Orationem pro sextio sect. 17. Vbi Gabiniū, & Pisonem probat non esse Consules ab his verb. *Quid dicam consules &c.* ad hæc verba, *Alter vnguentis affluens, &c.*

Ex hoc loco Ciceronis colligere potes, notationem tractari posse eleganter per Antitheses.

Tractatur etiam per congeriem multarum interpretationum vocis Vt ibid. pro Sextio, *Quid dicam Consules? hoccine vt ego appellem nomine euersores huius Imperij proditores vestræ dignitatis*... Modi tractandæ notationis

gni.

gnitatis, hostes bonorum omnium, qui ad delendum Senatum affligendum Equestrem ordinem, extinguenda omnia iura atque instituta maiorum, se illis fascibus cæterisque insignibus summi honoris atque Imperij ornatos esse arbitrantur? Aduerte autem hanc interpretationem multiplicem vocis, esse per Antitheses, vt antè dictum est.

Ducitur eiusmodi argumentum ad facetias, acumen, & vrbanitates. Nonnunquam ex nomine ipso laus, & vituperium colliguntur. exemplum huius loci à notatione sit. *Quid legio Martia, quæ mihi videtur diuinitùs ab eo Deo traxisse nomen, à quo Populum Romanum generatum accepimus?* Alterum sit exemplum: *Quid vnquam Iudices, eiusmodi euericulum* (de Verre loquitur Cicero) *vlla in Prouincia fuit?*

Quomodo fiat notatio

Notatio nominis fit 1. per remotionem syllabæ aut literæ. Vt cùm dicitur de Ferrando, quod nomen habeat ex ferro.

2. Per immutatione significationis. Vt cùm dicitur de Ænea, quod sustulerit patrem; &, de Nerone, quod sustulerit matrem.

Nonnunquam definitionis locus coniungitur cum loco à notatione, adhibenturque antitheta, vt orationi plùs ponderis accedat.

Ad

Ad hunc locum à Notatione referuntur Anagrammata. Fit autem Anagramma, Anagrammatis conficiendi ratio prima.
1. Cùm alicuius vocis elementa ordine retrogrado ſumuntur. Vt cùm *amor* dicitur pro *Roma*; *aura* pro *arua*; *omen* pro *nemo* &c. Id aliquando ſeruatur in verſu integro. Vt cum dicitur contrario ſenſu. 1.

Patrum dicta probo, nec ſacris belligerabo.

Et contra ab hæreticis.

Belligerabo ſacris, nec probo dicta Patrum.

2. Fit Anagramma cum litteræ alicuius dictionis ita permiſcentur, vt fiat nomen nouum, v. g. cum dicitur pro *Logica*, *caligo*. 2.

Nonnunquam ex vocibus homonymis acumen trahitur quod pertinet ad hunc locum à Notatione, v. g. cum dicitur de Cæſare, quòd plures annos impenderit vt verſum bonum faceret (per *Verſum* intelligitur Dalmatarum Dux) quàm Virgilius in ſcribenda Æneide.

3. Fit ex aliquarum literarum tantùm vel conſonantium immutatione. Vt cum dicitur *ſanus*, pro *naſus*, *credulitas*, pro *crudelitas*. 3.

4. Ex diuiſione vocum. Vt *Ter Tullus* pro *Tertullus*. 4.

5. Vocum Analyſi, quæ duplex eſt Altera in ipſa elementa vocis Vt Adam, ad ſigni- 5.



significandam *anatolin*, Orientem; *dysin*, occasum; *arcton*, septentrionem; *mesembrian*, meridiem.

Altera numerica est, v. g. LVX, Vt significems quinquaginta per L, quinque per V. decem per X.

Locus ab enumeratione partium.

Definitio. LOcus ab enumeratione partium plurimum habet splendoris, plurimumque confert tum ad rem dignoscendam, tum ad rem amplificandam.

Enum. partiũ. Enumeratio partium est oratio superius aliquod in sua inferiora vel totum in suas partes distribuens.

Hic locus à genere ac specie & à toto, differunt; quia ex genere, specie, & toto partes inferuntur & probantur: ex enumeratione verò partium, genus, species, & totum inferuntur.

Partes sunt duplicis generis. Partes sunt duplicis generis.

Alteræ sunt partes integrantes totius. Vt quando corpus diuiditur in humeros, bracchia, pectus, & cæteras corporis partes.

Alteræ sunt vel generis in suas species: Vt quando diuiditur virtus in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & Cæteras virtutes. Vel speciei in sua indiuidua: Vt Homo in Petrum, Ioannem, Iacobum &c.

Al-

Altero modo sumi possunt partes sunt enim aliquæ essentiales, remq; ipsam constituunt: Aliæ sunt integrantes, remq; ipsa perficiunt. v.g. essentiales hominis partes sunt corpus & anima: integrantes sunt manus oculus &c.

Partium essentialium Enumeratio rem magis confirmat, quam integrantium.

Quando verò fit Enumeratio partium, cauendum est nè aut necessariæ partes omittantur, aut nè superfluæ adiungantur, vel nè eædem bis numerenrur.

Hic locus ab Enumeratione partiũ fit. Enumerationis partiũ modi.

1 Partitione, hoc est tribuendo singulis membris quod proprium est. Vt Philippica 14. num. 34. ab his verbis: *Sed quoniam, Patres conscripti, gloria munus optimis & fortissimis ciuibus monumenti honore persoluitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hac quidem consolatio; parnentibus quòd tanta Reipublica præsidia genuerunt; liberis &c.* 1.

2. Diuisione, hoc est, quando genus diuiditur in suas species subiectas, vel species in Indiuidua v. g. si quis, vt virtutem aliquam extolleret, virtutes enumeraret, illisque omnibus post habitis, suam prædicaret Vel quando totum aliquod in suas partes diuiditur. v.g. si exercitus distribueretur in Duces, Legatos, Tribunos, Equites &c. 2.

3. Col-

3. Collatione omnium partium, & sin-
gulis negatis. Vt contra Pisonem num.
4. 38. ab hi verbis *Confer nunc vicissim re-*
ditum tuum &c.

4. Affirmatione omnium partium. Vt
Orat. post reditum ad Quirites n. 2. vel
5. infrà ab his verbis, *Quid dulcis homi-*
num generi &c.

6. 5. Collectis omnibus partibus, & vna
tantùm affirmata aut negata.

6. Per oppositiones. Vt, *Non venit in*
templum vt illo tanquam in foro de re-
bus domesticis ageret, sed vt inflãmata
charitatis in Deum daret indicia: nõ ve-
nit vt de rebus turpibus loqueretur, sed
7. *vt totus Deo tanquã victima offerretur.*

7. Negatione vel affirmatione omnium
8. locorum aut temporum.

8. Per effecta hoc est enumeratis singu-
9. lis effectibus.

9. Per adiuncta singula, hoc est allatis
omnibus circumstantijs. Vt pro Cluen-
tio num. 107. *Ac nè ex facto solùm sa-*
pientes iudicetis &c. Vel pro Cælio num.
10. 42. ab his verb *Quamobrem si quem*
fortè inueneritis &c.

11. 10. Per interrogationem,

12. 11. Per communicationem.

12 Per dubitationem coniunctam cum
interrogatione. Vt 7. in Verrem num.
13. 25. *Quo confugiunt socij? &c.*

13. Inductione. Vt Philipp. 7. nu. 71.

ab

ab his verbis: *Qua potest esse pax &c.*

Vel 1. in Catilinam num. 13. ab his verb. *Quid Catilina non dubitas &c.*

14. Vel interrogatione coniuncta cum responsione. Vt pro domo sua num. 95. ab his verbis: *Obijcitur mihi &c.* 14.

Denique per Antitheta, per prætermissionem, per multas exclamationes, & per Asintheta.

Vide maximè 2. Catilin quæ ferè tota est tractatio Enumerationis partium. Cùm enim status huius Orationis sit Populo Rom. non esse timendum ob coniuratos; sic argumentum ducit ab Enumeratione partium: *Si quid esset timendum ob coniuratos, esset ab Catilinam, vel ob eius socios. eosque vel qui sunt in vrbe, vel qui sunt foris: sed nihil horum timendum: ergo &c.* Attende diligenter ad sect 17. huius Orationis, ad sect. 18. 19. 20. 21. 23. & 24.

Vide etiam sect. 9 Orationis pro Milone ab his verbis. *Quod si 12. Tabula &c.*

Locus à Coniugatis.

Coniugatio est Oratio in qua coniugata explicantur. Coniugationis definitio.

Coniugata dicuntur ea quæ ab eodem vocabulo deducuntur. Quid coniugata.

Tales sunt hæ voces, *aureus, auratus aurifer*, ab eadem dictione *aurum*

Appellantur autem coniugata, quia quodammodò similiter coniunguntur, licet variè commutentur. Vocantur Græcè Syzyga, id est eodem iugo nexa: vel Parenyma, id est denominatiua. Vt breuiter dicam, locum ducere à coniugatis, est in vocabulis ludere.

Tale argumentum ductum esset à coniugatis: *Fortitudo præstat temperantiæ, si præstabilius est fortiter agere, quàm temperanter: sed præstabillius est fortiter agere quàm temperanter: ergo fortitudo præstat temperantiæ.*

Coningatorũ alia sũt sola voce. Alia significatione. Alia vtraq;

Inter coniugata, alia sunt sola voce, qualia sunt *studium* & *studiosus*: alia significatione sola, qualia sunt, *virtus*: *honestas*, *paupertas*: Alia denique voce, & significatione simul qualia sunt; *piè*, *pius*, *pietas* Argumentum sit pro Marcello num. 12. ab his verbis *Cæteros quidem ore victores &c.*

Obserua 1. quod quando aliquid vni coniugatorum conuenit per se, & non per accidens, cæteris etiam coniugatis conueniat; & contra quod non conueniat cæteris. v. g. valet hæc consequentia: *Pietas est virtus: ergo qui piè agit est virtute præditus.* Non valebit autem; *Album aliquod est dulce, v. g. lac ergo albedo est dulcedo &c.*

Hic locus tractari solet.

1. Per Hyperbolen. Vt, 1. Verrinæ

sect.

sect. 26. *Vt mihi non vnus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiuerunt: sed omninò omnis improbitas, id quod Populus Rom. Iamdiu. fagitat, extinguenda atque delenda sit.* Modus tractandi loci à coniugatis. 1.

2. Per Paronomasiam. Vt Verrina 2. sect. 129. *Ridiculi inueniebantur ex dolore cum dicerent eum egregium Astrologum, qui non tam cœli, quam argenti cælati rationem duceret.*

3. Per conglobationem seu congeriem multorum coniugatorum. Vt, *Quid militem eum appellas, cui nondum per ætatem militare licet? quid equitem vocas, qui nunquam nisi in arundine longa equitauit; quid Imperatorem nominas, qui sibi & cupiditatibus suis non imperat &c.*

Cauendum est huius loci vsu, nè aliquid ambiguum sit.

Locus à Genere.

HIc locus maximam habet vtilitatem, cum enim res aliqua specialis proponitur, frequenter probatio petitur à genere.

Genus autem est, quod plura species distincta sub se continet. v.g. Animal est genus, respectu hominis & leonis; virtus, respectu Prudentiæ, Iustitiæ, &c. Quamquam, & sumatur pro omni eo, Quid genus.

quod latius patet, & communius, vt prosapia respectu omnium, qui sunt eiusdem familiæ; patria respectu omnium ciuium; persona respectu actionum suarum.

Vsurpatur hic locus cùm ab hypothesi ad thesim fit ascensus, Exemplum sit pro Cælio num. 39. ab his verbis: *Hæc tua est igitur disciplina &c.* Pro Archia Poeta numer. 19. ad 21. *Sit igitur sanctum &c.* Pro Roscio Amer. à num. 62. ad 72. *Etenim quid tam est commune &c.*

Vsurpatur etiam cum à thesi ad hypothesim fit descensus maximè in exordijs. Exemplum sit Verr. 5. numer. 4. *Atque hæc ego plus oneris habeo &c.*

Obseruatio. Hic locus tractatur per affirmationem, vel per negationem.

Obserua, quod sublato genere, tollantur species, & quod posito genere, ponantur & species saltem aliquæ. v. g. sic duceretur argumentum à genere: *Non est animal, ergo neque homo est, neque leo &c.* est animal ergo vel homo est vel leo, vel aliquod aliud animal &c.

Locus à specie seu forma.

Quid species seu forma. SPecies seu forma est id quod plura continet solo numero distincta v. g. homo est species respectu Petri & Pauli & cæterorum hominum. Sic duceretur argu-

argumentum à ſpecie: *Nulla prudentia, nulla fortitudo, nulla iuſtitia eſt in ſingulari certamine*: *Ergo nulla virtus*. Vſurpatur autem hic locus, 1. cum à theſi ad hypotheſim fit deſcenſus, v. g. cum laudatur virtus, laudatur iuſtitia; 2. cum ab hypotheſi ad theſim fit aſcenſus, v.g. Vt laudentur prudentia, iuſtitia &c. laudatur virtus.

Hic locus tractatur. Rationes tractandi loci à ſpecie.

1. Per affirmationem.
2. Per negationem.
3. Per inductionem.

Exemplum ſit 1. Philipp. nu. 18. ab his verbis: *Ecquid eſt quod tam propriè &c.* 1. Catilin. n. 7. *Quid eſt Catilina, quod iam ampliùs expectes &c.*

Obſerua; quod deſtructa ſpecie, deſtruuntur res ſingulares: & affirmata ſpecie, vnum ſaltem, aut plura, ſingularia inferuntur, vt ante dictum eſt de genere, v.g. homo eſt, ergo Petrus eſt, vel Paulus, vel quiuis alius, vel omnes, vel plures.

Cùm totius duplex ſit genus, alterum vniuerſale, quod complectitur genus & ſpeciem: alterum integrans, ſeu quod conſtat ex multis partibus quæ ad naturam vnam non ſpectant: Poſtquam egimus de loco à genere & ſpecie, hic pauca de *loco à toto*, afferenda ſunt.

Totum, vocatur id cui nulla pars deeſt. Quid totum.

deest. Sic autem duci potest argumentum ex hoc loco v.g. vt Cicero 2. Orat. in Cat. sect 15. vbi probare vult se non timere totum exercitum Catilinarium, probatque diuisione totius in suas partes integrantes & constituentes exercitum.

Moni- tio. Aduerte, quod in vsu huius *loci à toto*, vt & locorum à genere seu specie & forma more Ciceroniano, minor præponatur maiori ad cælandam artem.

Locus à similitudine.

Similitudo est oratio rerum distinctarum, quæ tamen in aliquo conueniunt, Quæ enim nullo modo inter se conueniunt, dicuntur disparata.

Similitudo autem instituitur inter plura, quæ in aliquo sunt similia, licet aliunde sint disparia, v. g. est similitudo inter auarum, & hydropem; quia in hoc conueniunt, quòd satiari non possint; licèt sint inter se dispares. Vide 1. Orat. in Catilin sect. 10. ab his verb. *Quod si ex tanto latrocinio iste vnus tolletur, videbimus fortassè ad quoddam breue tempus &c.*

Similitudo differt à comparatione, quod comparatio versetur in quantitate, similitudo in qualitate.

Hinc intellige, similitudinem non esse æqualitatem: Patere à vnum quid suffice

sufficere ad rationem similitudinis.

Similitudo diuiditur in parabolam, exemplum, & inductionem. — Similitudinis diuisio.

Parabola est rerum alioqui diuersarum in vna, vel pluribus affectionibus conuenentia. Exemplum sit pro Roscio Amerino nu. 56. ab his verbis, *Illis (supplè anseribus) cibaria publicè locantur, & cane aluntur in Capitolio &c.* — Parabola quid est.

Parabola est quadruplex. — Parabola est quadruplex.

1. Habitudinis. *Vt agri cum animo.*
2. Affectus. *Vt auari cum sitiente.*
3. Naturæ. *Vt formica cum prouido.*
4. Actionis *Vt irati Leonis cum furioso.*

Exemplum, est facti vel dicti cum certi authoris nomine expositio. — Exempli definitio.

Colliguntur autem exempla vel à pari, vel à maiori ad minus, vel à minori ad maius.

Inductio, est multorum similium collectio, De his infrà fusiùs.

Hinc intellige, similitudinem fieri. — Similitudo fit.

1. Per inductionem, quæ illustrari solet interrogationibus. Vt, *An qui naues aliorum merserint facilè quis suam ijs committet? An qui alienos equos negligenter curauerint suos ijs tradet quispiam &c.* — Per inductionem.

2. Per collectionem exemplorum Vt pro Balbo num. 51. ab his verb. *Hic tu Cn. Pompei beneficium &c.* vel pro Plancio lect 51. ab his verb. *Quæris etiam* — Per collectionem.

Latenensis, quid imaginibus tuis &c.

Per cõparationem. 3. Per comparationem. Vt pro Roscio Amerino nu. 131. ab his verbis: *Etenim si Iupiter &c.* vel Act. 1. in Verrem sect. 48. ab his verb. *Vt in actoribus Græcis fieri vidcbimus &c.*

Per fictioně. 4. Per fictionem. Vt pro Sextio num. 45. ab his verbis: *Etenim si mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti &c.* & 4. in Catilinam nu. 12. ab his verbis. *Etenim quæro si quis Pater familias &c.*

Per collationě. 5. Per rerum similium collationem. Vt pro Comædo num. 55. ab his verbis: *Simillimu enim & maximè societas &c.*

Per cõglobationem. 6. Per similitudinum conglobationem. Vt ex D. Greg. Homil. 15. in Euangelia. *Sic vua calcibus tunditur & in vini saporem liquatur: sic oliua contusionibus expressa, suam amurcam deserit & in olei liquorem pinguescit: sic per trituram area à paleis grana separantur, &c.*

Per negat. & affir. 7. Per negationem cum affirmatione adiuncta hoc modo: *Qui patriæ salutem desiderat conseruare. Eius non domi tantùm sed foris voces audiuntur; non domesticis parietibus sermo continetur, sed palam irrumpit.*

Ad ducendum argumentum à similitudine.

1. Videndum est quid in rerum natura simile aliquid habeat,

2. Inue-

2. Inuerit abundare metaphoricis locutionibus.

Cauendum est diligenter nè tupia & obscæna in similitudinem afferantur; licèt aliquando vilia & abiecta proferri possint. Monitio.

In vsu similitudinis his vti possumus particulis: *quemadmodum &c ita &c. sicuti &c. sic &c. vt tanquam similiter, haud secùs &c.* Particulæ similitudinis.

Locus à dissimilitudine.

Locus à dissimilitudine petitur ab ijsdem capitibus, ex quibus ducitur locus à similitudine. Dissimilitudinis.

Dissimilitudo est rerum multarum quæ inter se diuersæ sunt, dissimilis affectio. definitio.

Hic locus tractatur eodem modo atque Locus à similitudine; nisi quod similitudo per affirmationem procedat, dissimilitudo verò per negationem.

Locus ab oppositis.

HIC locus est veluti quoddam amphiteatrum, in quo pugnantium argumenta iucundius perspiciuntur.

Oppositio est repugnantia, secundum quam duo ita inter se repugnant, vt neutrum illorum cum altero tertio eadem Oppositionis definitio.

B 5 ratio-

ratione pugnare possit. Quare intellige, opposita distingui à disparatis, quia hæc non tantum cum vno, sed etiam cum multis eodem modo pugnant, v. g. eodem modo quo *linea* opponitur *cathedræ* eodem modo opponitur *saxo*, *equo* &c. At vero *calor* ità opponitur *frigori*, vt cum nulla re alia eodem modo pugnet: qua propter *calor* est oppositus *frigori* non verò disparatus à *frigore*.

Rhetores tamen non tam exactè hanc oppositionem requiruntur in hoc loco ab oppositis.

Opposita sunt quadruplicis g.

Opposita sunt quadruplicis generis. Alia sunt contraria, alia sunt relata, alia priuatiua, alia contradicentia.

Opposita contraria.

Contraria dicuntur ea, quæ cùm sub eodem genere ponantur, se mutuo expellunt ab eodem subiecto. Eiusmodi sunt *virtus & vitium*, *calor & frigus*. Exemplum sit Philipp. 2. num. 31. Vel 2. Catilin. sect. 24. ab his verbis: *O bellum magnopere pertimescendum &c.* vel pro Milone sect. 17. ab his verbis: *Nisi fortè magis erit parricida &c.*

Opposita relata.

Relata sunt ea, quorum natura in hoc posita est, vt ad aliud referantur Eiusmodi sunt *filius & pater*, quia non potest intelligi filius vt filius, sine patre; nec pater vt pater, sine filio amicus sine amico. Exemplum sit pro Milone sect. 100. ab his verbis: *Nec vero si mihi eriperis &c.*

Relatio

Relatio enim erat mutuæ beneuolentiæ Ciceronem inter & Milonem.

Priuatiua sunt ea quorum alterum est habitus seu res ipsa habita: & alterum priuatio eiusdem rei. Eiusmodi sunt auditus & surditas in auribus, vita & mors in animali. Exemplum sit pro Milone sect.80. ab his verbis. *Cum sic attenditis, Iudices &c.* vel ibid. sect.81. & 92. Opposita priuatiua.

Contradicentia sunt ea, quorum alterum id negat, quod alterum affirmat. Eiusmodi sunt, *Est virtute præditus*, & *non est virtute præditus*, Exemplum sit Orat. pro Milone cùm probat licere hominem occidere, scilicet in aliquo casu iusto. Opposita contradicentia.

Ducitur argumentum à contrarij hoc modo. *Cùm fateamur magnam vim esse vitijs ad miseram vitam, nonne fatendum est pariter esse vim virtuti ad beatam vitam?* vel hoc modo, *Cum inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est tumultum si belli non sit, pacis esse;* Argumẽtum à cõtrarijs.

Hinc collige quòd contraria talia esse debeant, vt in quo non est vnum, in eo sit alterum, si subiectum est capax.

Hæc contraria tractari solent 1. per expositionem. Vt Verrina 5 numer. 1. ad num 7. Tractatio loci ab oppositis.

2. Per Antitheta.

3. Per oppositionem vnius verbi alteri

verbo. Vt, *Ebriosus sobrio illudit, nequissimus sanctissimo fortissimus ignauo.*
4. Per oppositionem periodi periodo.
5. Per affirmationem, & negationem, seu per subiectinem. Vt Verrina 4. nu. 192. *Nunc verò quid facias Hortensius &c.*

Denique per negationem solam criminis obiecti.

Ducitur argumentum à Relatis hoc modo. *Quod pater fecit impunè, id si filius faciat, plecti non debet: sed &c.* Argumentum à priuatiuis sic ducitur: *Si cæcitas grauissimum importat incommodum; visio commoda non exigua afferre solet.* Exempl. sit pro Cælio num. 33. *Sed tamen ex ipsa quæram priùs &c.*

Argumentum ducitur à contradicentibus hoc modo. *Pœnitentia est ad vitam, ergo pœnitentia non est ad mortem.* Exemplum sit pro Cælio n. 12. ab his verbis: *Habuit enim ille sicuti meminisse vos arbitror &c.*

Locus ad Adiunctis.

HIC locus ab adiunctis longè lateque patet in omni causarum genere.

Adiunctorum definitio. Adiuncta dicuntur ea omnia quæ rem quidem non componunt, sed augent, quocumque modo coniungantur.

De-

Definiuntur autem clariùs: adiuncta sunt ea, quæ cum re, qua de agitur, non necessariò se probabiliter coniuncta sunt.

Inter illa alia rem præcedunt, alia concomitantur, alia consequuntur; alia rei sunt signa, alia sunt bona, vel illius mala; alia denique sunt eiusdem perfectionis vel imperfectionis.

Adiuncta concomitantia

Concomitantia sunt v. g.

Locus, Tempus, Occasio, Modus, Facultas, Instrumenta.

Ad locum, hæc referri possunt, v.g. quòd sit campus, mons, mare, domus, templum &c. Quòd sit locus sacer, profanus frequens infrequens &c. Quòd sit amplus, angustus &c, Quòd sit priuatus, publicus &c.

Ad tempus hæc referri possunt, quòd hæc vel illa sit hora, dies, hebdomada, mensis, annus &c. Quod sit nocturnum tempus, quòd diurnum &c.

Ad modum hæc referuntur, v g. Consilia, finis, intentio, causæ propter quas &c.

Ad facultatem referuntur socij, armaq; præsidia &c.

Adiuncta præcedentia.

Præcedentia sunt, causæ, consilia, colloquia iniuria accepta vel illata, consuetudo, minæ, promissa, susceptum iter omis denique reliquus apparatus.

Con-

Adiuncta consequentia.

Consequentia sunt v. g. ad rem gestam, pallor, rubor, incessus titubans, frequens anhelitus, hæsitatio reprehensio publica, exhaustum patrimonium, clades, supplicium morbi gladius cruentus.

Signa rei.

Signa rei sunt duplicis generis.

Alterum est eorum quę necessariò cū re cohærent. Vt fumus cum igne, cicatrix cum vlnere, præsentia cum crimine admisso.

Alterum est eorum quæ necessariò non cohærent cum re, sed probabilia sunt. v. g. colloquia præcedentia auditæ minæ, pedum strepitus, armorum apparatus, quæsitæ latebræ &c. Bona vel mala animi, corporis, & fortunæ.

Bona corporis sunt v. g. ætas, forma, vires, valetudo, patria, natio, pulchritudo &c.

Bona animi sunt, virtutes.

Bona fortunæ sunt diuitiæ facultates.

Mala verò sunt ijsdem contraria.

Adiuncta omnia.

Vt breuiter dicam, continentur adiuncta hoc versu,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs cur quomodò, quando.

Tractationem habes adiunctorum antecedentium Orat. pro Milone sect. 55. ab his verbis: *Video adhuc &c.*

Concomitantium ibid. sect. & 54. 55. ab his verbis *Cum igitur victus est &c.*

Consequentium ibid. 62. ab his verbis, *Quòd si nondum satis cernitis &c.*

Lo-

Locus ab Antecedentibus & Consequentibus.

HIC locus maximi est momenti in omni causarum genere.

Hic enim locus ab antecedentibus & consequentibus, complectitur ea quæ cum re tam necessario cohærent, vt illam antecedant vel consequentur. v. g. *vulnus cordis mortem* antedit, *culpa pœnam*, *pœna* verò consequitur *culpam*, *& mors cordis vulnus*. Definitio huius loci.

Antecedentia sunt ea, quibus positis, necesse est alia consequi. Antecedentia.

Consequentia verò sunt illa quæ nec esse si ea, quorum sunt consequentia, præcesserint. Conseq.

Sic dicitur argumentum ab antecedentibus; *Nemo ferè saltat sobrius nisi fortè insanit: sed ille saltat: vel ergo non est sobrius, vel insanit*. Quando res probabiliter tantùm coniungitur cum re altera, consecutio tantùm pariter est probabilis.

Sic dicitur à consequentibus: *Est fructuum copia; ergo & florum fuit*. Quia fructuum copia consequitur copiam florum. Ita Cicero probat, Clodium fecisse insidias Milones: *Conscius fuerat Clodius profectionis Milonis, nam se diligenter instruxerat: Ergo fecit insidias*

dias Milonis. Contra probat à consequenti, Milonem non fecisse insidias Clodio: *Milo post eadem se tradit senatui, venit in Curiam &c. ergo non fecit insidias*.

Tractatio huius loci.

Hic locus tractatus per negationem, vel affirmationem.

Nonnunquam ex multis antecedentibus vnum tantum consequens insertur: & contra ex vno antecedente multa consequentia inferuntur.

Tractatur etiam per contraria. Exemplum sit 3. Philipp. num. 14. ab his verbis. *Quamobrem omnia, mea sententia &c.*

Locus à Repugnantibus.

Quæ sint Repugnantia.

REpugnantia sunt ea quæ simul stare non possunt. Qualia sunt *amare, & odisse; viuere, & mortuum esse*.

Hic locus nullo certo rerum genere circumscribitur: ad hoc enim vt aliqua sint repugnantia, sufficit vt vel in natura vel in affectione aliqua inter se dissideant.

Argumentum ex illo loco sic duci potest: *Qui amat, non afficit iniuria: tu verò in me conuitia iactas identidem &c.* Vel, hæc duo non possunt cohærere: *Sol ortus est, & non est sol ortus*. Vel, *Hic spirat, ergo non est mortuus*. Exem-

plum

plum sit pro Cælio num. 5. ab his verbis. *Repugnat eius mores non probari, &c.* Vel pro Milone sect. 69. ab his verbis. *Quòd si Miloni locus datus esset, &c.* Vel sect. 71. ab his verbis: *Quanquam quis hoc credat, amare Pompeium, & voluisse eum interficere &c.*

Hic obserua, non valere semper argumentum à negatione repugnantis, ad confirmandum contrarium: Valere autem semper, quando contraria & consequentia sunt necessaria v. g. Non valet hæc consecutio: *Meo bono non lætatur, ergo me odit.* Quia potest non lætari, & non me odisse. Obseruatio.

Locus à Causis.

Causa est id, cuius vi aliquid fit. Hęc autem efficientia non est tantùm efficientis causæ sed & cæterarum causarum, quæ suo modo rem efficiunt. Causæ definitio.

Locus à Causis, est locus complectens causas rei à quibus ducitur argumentum, v.g. Quia vulnus est causa mortis, probari mors potest à vulnere.

Quatuor autem sunt causæ; efficiens, materialis, formalis, & finalis.

Causa efficiens est qua aliquid est, seu est principium vnde actio proficiscitur.

Causa efficiens, multiplex est 1. procreans seu efficiens, vt Deus, Parentes, Causa Efficiens.

Procreans, cōseruans, Interimens. artifices. 2. conseruans quæ rem conseruat 3 interimens, quæ perniciem affert. Vt febris respectu animalis.

Naturalis, Moralis. Iterum causa efficiens vel est naturalis seu physica, Vt artifex respectu alicuius quod efficit Vel moralis, quæ rem quidem non efficit, sed impellit ad rem illam faciendam, v.g. ille censetur causa efficiens moralis homicidij, qui homicidium persuasit

Causa materialis. Causa materialis complectitur omnem materiam.

Materia. Materia autem est id ex quo aliquid fit aut componitur, v.g. marmor est materia ex qua fit statua.

Materiæ diuisio. Materia duplex esse potest, vna quæ remanet in ipsa re composita Eiusmodi sunt lapides ex quibus domus constat.

Altera est quæ transit & mutatur post rem factam Eiusmodi est lignum ex quo combusto fit ignis.

Materia remanens duplex est, altera naturalis. Eiusmodi est corpus ex quo homo constat.

Altera artificiosa. Eiusmodi est aurum ex quo fit calix.

Iterum materia diuiditur in materiam ex qua aliquid fit; in materiam in qua aliquid inest, & in materiam circa quam versamur.

Mat. ex qua. Materia ex qua fit aliquid iam est explicata.

Mate-

Materia in qua est subiectum alicuius formæ vel accidentis. Talis est paries in quo inest albedo. Mat. in qua.

Materia circa quam, est id circa quod versamur, v. g. Color est materia circa quam, oculi quia oculus versatur circa colores. Mat. circa quã.

Quæstiones sunt materia circa quam, Rhetoricæ; quia circa illas occupatur.

Causa formalis complectitur omnes formas.

Forma in communi est id per quod reus est talis v.g. *anima est forma hominis*, quia per animum homo fit talis, hoc est rationalis. Formæ definitio.

Forma autem vel est essentialis, vel accidentalis, vel artificialis. Essentialis.

Forma essentialis facit rem talem essentialiter

Accidentalis forma facit rem talem accidentaliter. Hæc non constituit naturam rei, sed illam perficit, v. g. facultas ridendi non constituit hominem in ratione hominis; sed iam constitutum talem per animam rationalem, perficit. Similiter albedo non constituit parietem in ratione parietis, sed illum tantùm perficit. Accidẽtalis.

Artificialis forma est ea quæ ab arte proficiscitur, estque posita in certa quadam figura externa. Sic partiũ domus dispositio est forma artificialis illius domus. Artificialis.

Causa

Causa finalis complectitur fines omnes qui nos mouere possunt ad aliquid faciendum.

Finis autem duplex esse potest.

Finis propter quem. Alter est cuius gratia aliquid fit, vel propter quem aliquid fit.

Finis cui. Alter est finis cui aliquid fit.

Prior continet motiuum quod nos impellit, v.g. opera bona facio, ad salutem æternam consequendam.

Posterior includit personam cui aliquid boni volumus vel mali.

Finis potest esse bonus vel malus. Vnde ex fine bonitas vel malitia actionis petitur.

Argum. à causa efficiente. Sic duci potest argumentum à causa efficientes: *Nulla produci potest causa efficiens, & impellens huius criminis: Ergo non est admissum*: Vel *Mundus est à Deo ergo, est absolutum opus*. Vel, *Fortis est ille Imperator, ergo fortiter pugnabit*. Vel, *gurges est atq; helluo ergo fortunas omnes nostras deuorabit*. Exemplum sit Ciceronianum in Pison. num. 41. ab his verbis. *Nam ille gurges atque helluo &c.*

Argum. à causa materiali. Sic duci potest argumentum à causa materiali: *Qui non pauca pocula ex auro subripuit, graue furtum admisit: sed Verres non pauca pocula ex auro subrupuit, ergo*. Vel, *Sidera nobilissima sunt, quia sunt purissimæ partes cœli &c.* Vel

&c. Vel, *Nullus est paries; ergo nullus albus est paries.*

Sic potest duci argumentum à causa formali. *Mors non est timenda quia anima nostra imortalis est.* Exemplum sit pro Sextio 47. *Hac domus praclara, est quia forma eius prastantissima est.* Et Verrina 6. 72. ab his verb. *Fuit apud Segestanos ex are Diana simulachrum &c.* Argum. à causa formali.

Sic duci potest argumentum causa finali. *Milo nullum habuit motiuum quo impelleretur ad occidendum Clodium. Ergo insidias non parauit.* Exempl sit pro Milone num. 32. ab his verbis: *Quoniam igitur hoc pacto probari potest &c.* Vel, *Homo qui natus est ad immortalitatem, abijcere sese ad res humiles non debet &c.* Argum. à causa finali.

Locus ab effectis.

Effecta sunt ea quæ sunt orta de causis. Effectorum definitio.

Vnde tot sunt effectus varij, quot sunt variæ causæ.

Per ipsa effecta causæ probantur, quia sunt notoria ipsius causis.

Effectus proprius finis est, opus vel actio ad finem consequendum suscepta. Effectus finis.

Effectus formæ, est ipsa actio quæ procedit à forma. Vel, est opus consequens Formæ.

sequens formam. v.g. *intelligere ratiocinari*, est effectus formæ hominis, seu animæ rationalis.

Heteriæ. Effectus materiæ, est opus quod ex materia fit v.g. *gladius* est effectus ferri, si sit ex ferro.

Efficiētis. Efficientis denique effectus est id quod ab illa fit. v.g. *Domus* est effectus architecti.

Hic locus effectorum sæpiùs vsurpatur ab Oratoribus, quàm locus à causis: quia effecta sunt causis notiora.

Euenta. Cicero ad effecta solet referre euenta; quanquam euenti nomen latiùs pateat, quàm effectus.

Sic duci potest argumentum ab effectis. *Componitur ex corpore, ergo mutationi sumus obnoxiȷ*? quia mutatio est effectus corporis curruptibilis.

Ex affectis colliguntur caussæ Vnde sic argumentari licet: *Delectum habet militum, conscribit Legiones; ergo bellum meditatur*.

Tractatio effectorum. Hic locus tractari solet per negationem, vel per affirmationem, vel concisè, vel fusè, vel per conglobationem, vel per prolixiorem explicationem, per descriptionem, per oppositionem per metonymiam. Vide Orat. pro Milone sect. 88. ab his verb. *Dura mihi &c.*

Lo-

Locus à Comparatione.

COmparatio est oratio, quà duæ plu-resue res in aliquo tertio quod sit vtrisque commune, conferuntur. Comparationis definitio.

Hunc collige, cùm triplici modo res inter se conferri possint, esse tres locos à compariatione, nempe 1. à maiori ad minus, 2. à minori ad maius, 3. à pari.

Rhetores per, *maius*, intelligunt quod est magis probabile; per *minus*, quod est minus probabile; denique per *par*, est pariter probabile. Quid sit Maius, Minus, Par.

Aduerte 1. quòd comparatio instituatur in quantitate virtutis: quæ quantitas virtutis refertur ab maiorem, vel minorem, vel æqualem probabilitatem.

Aduerte 2. quòd quæ comparantur, debeant esse eiusdem ordinis; alioqui comprratio fallit.

Aduerte 3 quòd tunc fit argomentum à maiori ad minus, quando minus probabile concluditur ex magis probabili. Argum. à maiori ad minus.

Fit à minori ad maius, quando magis probabile concluditur ex minus probabili. A minori ad maius.

Denique fit à pari, quando pariter probabile concluditur ex pariter probabili. A pari.

Locus à maiori ad minus.

Definitio loci à maiori ad min.

LOcus à maiori ad minus, est comparatio rei verisimilioris & conuenientioris cum minùs verisimili & minùs cõuenienti. Exemplum sit à maiori ad minus Orat. pro Domo, num 8. ab his verbis. *Ciuis est nemo in tanto Populo* Vel pro Milone sect. 18. ab his verbis. *Itaque in eadem ista Appia &c.*

Locus à minori ad maius.

Definitio loci à min. ad maius.

LOcus à minori ad maius, est comparatio rei minùs verosimilis & minus conuenientis, cum vero similiori & magis conuenienti. Exempl. sit 2. in Verrem. num. 28. ab his verbis. *Quid est quaso Metelle &c.* Pro lege Manilia, numer. 21. ab his verbis: *Maiores vestri &c.*

Sic ducitur argum. à minori ad maius. *Scelerati homines hoc non facerent: ergo multò minus vir religiosus.*

Locus à pari.

Definitio loci à pari.

LOcus à pari, est comparatio parium inter se. Sic ducitur argumentum è pari. *Qui occidit patrem, insutus in culeo deijcitur inprofluentem: ergo & qui*

qui matrem occiderit: Vel, *Beati omnes, innocentia, virtute & laborum tolerantia gloriam æternam sibi pepererunt: ergo & ijsdem nos oportet gradibus ad eandem gloriam aspirare.*

Par, dicitur id quod est æquè probabile, ac alterum: exemplum sit pro domo, nu, 52. ab his verbis. *Tam Herculè est vnum, quàm quod vna lege tulisti &c.*

De Locis Rhetoricæ Extrinsecis seu assumptis.

Loci Rhetoricæ extrinseci sic appellantur, quia non pendent ex arte, vt excogitentur, sed tantùm vt tractentur. Dicuntur etiam assumpti, quia extrinsecùs assumuntur ad rei confirmationem. Loci Extrinseci, seù Assumpti.

Hi loci Extrinseci sex numerari solent: suntque.

1. Præiudicia.
2. Rumores seu fama.
3. Tormenta, seu Quæstiones adhibitæ.
4. Tabulæ.
5. Iusiurandum.
6. Testes seu testimonium.

Testimonium vel est Diuinum, vel humanum, Testimoniũ est diuinum vel humanũ.

Testimonium humanum vel est Oraculum, vel Auspicium, vel Vaticinatio, vel Responsum.

Oraculum. Oraculum est vox Dei.

Auspicium. Auspicium seu Augurium est testimonium captum ex cantu, volatu, & pastu auium.

Vaticinatio. Vaticinatio est vatum responsum.

Respōsum. Sacerdotū: Aruspicum. Coniectorum. Responsum denique est triplex:

Vel enim est Sacerdotum; quia olim Sacerdotes consulebantur de obscuritate Oraculorum, Auspiciorum, & Vaticinationum.

Vel est Aruspicum; qui ex inspectione extorum coniiciebant.

Vel Denique Coniectorum, quorum erat somnia exponere.

Hæc testimonia ad Paganos pertinebant, nunc de nostris.

Testim. diuinū. Testimonium Diuinum illud est cuius Deus est author: siue per seipsum, siue per alium.

Angelicum. Angelicum testimonium, est testimonium ab Angelo.

Humanum, quod est vel Ius Ciuile scriptū. Vel præiudicia. Testimonium denique humanum, est ab omine.

Inter testimonia humana sunt, 1. Ius Ciuile scriptum, quod complectitur Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Principum placita, Magistratuum edicta. 2. Præiudicia, quæ continent Testamenta, Tabulas, Responsa Prudentum, Chirographa, Libros scriptos Theologorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, & Poetarum.

Hu-

Humana testimonia in Oratione posita sunt ea, quæ comp. ehendunt testimonia libera & extorta.

Vel testium rei aut actoris; liberum aut extorto.

Testimonia in aliqua re posita sunt ea quæ complectuntur omne Ius scriptum, vsus, & consuetudines approbatas.

Ad testimonia humana referri possunt.

1. Ea quæ pendent ex authoritate, aut eruditione, aut opibus, aut virtute illustrium hominnnni.

2. Ea quæ pendent à voluntate Regum, Principum, & Rerum publicarum.

Denique ea, quæ sunt ab oratione quam homines libere protulerunt; vel quam cruciati confessi sunt.

Ad prima, pertinent exempla, sententiæ, prouerbia. symbola, & alia quæ ex veterum libris eruuntur.

Ad secunda, pertinent Leges, Edicta, Præiudicia.

Denique ad tertia pertinent, testes, iusiurandum, pacta, conuenta, & quæsita seu Cruciatibus extorta.

Exemplum, est rei gestæ vel quasi gestæ commemoratio.

Exempli definitio.

Ad Exemplum requiritur.

1. Vt sit ab authore idoneo.

2. Vt ex ipsomet authore eruatur.

3. Vt conueniens sit & oppositum.

4. Vt non sit frequentius.

5. Vt ex propriæ Gentis historia excerbatur.

6. Vt ex Annalibus ijs, qui gratiores ſint auditoribus, colligatur.

7. Et ornatè pertractetur.

8. Vt circunſtantijs ſuis inſtruatur.

Symboli definitio.

Symbolum, eſt ſignum & indicium rei alicuius, ſiue ſit dictum, ſiue ſcriptum, ſiue aliquid ſub ſenſum cadens. Vnde alia ſunt ſymbola quæ verbis, alia quæ picturis, & imaginibus exhibentur; & alia quę verba & imagines ſimul complectuntur.

Symboli ſpecies.

Symbolorum ſpecies ſunt hieroglyfica ſigna, eaque ſunt vel per imitationem rerum quas ſignificare volumus v. g. ſi *Sol* pingatur pro *Rege*, & *Stella* pro *Subditis*. Vel per conuenientiam aliquam, vt ſi per *ceruum longa vita* ſignificetur, per *leonem*; *robur & vigilantiam*. Vel per ænigmata, quæ verbis vel imaginibus fiunt, aut verbis & imaginibus ſimul. Vt ſi *Nilum* ænigmaticè pingere volentes, *Senem* pingamus *cum vrna, iugiter ex ea aquis manantibus, ſubtùs verò croccdilum, & inter ſenis brachia colludentes pueros*.

Ænigma ſit in Syllabis, id eſt, litera pro re.

Ænigma autem multiplex eſt.

1. Enim fit in Syllabis, vt ſi quis ponat *S*, vt ſignificet *Serpentem*; *C*, vt ſignificet *falcem*; *I*, vt ſignificet *columnam*; *E*, vt ſignificet *vncum*; *V*, vt ſignificet *viam*.

Litera pro no-

2. Fit cùm prima tantùm litera nominis,

nis, rei, aut personæ apponitur. Vt si quis scribat tantùm *C*, ad significandum *Christum*. mine.

3. Fit cum pro multis nominibus, solæ eorum primæ literæ scribuntur, v. g. *I*, & *C*, ad significandum *Iulium Cæsarem*. Litera pro numero. Multis literis simul.

4. Cùm multæ literæ simul coniunguntur, quæ sigillatim aliquid significandam *Salutem, arma, leges*.

5. Cùm ex vna voce multæ intelliguntur interpretationes, siue illam retro legamus, siue syllabas permisceamus, siue in partes diuidamus: idque vocatur *Logogryphus* Vt, *Sum ego vna litera plusquàm medicus*: quia addita litera *n*, fit *mendicus*. *Vnum mitto tibi, reseces modo millia mensem*: Litera enim *m*, *millia* significat, vnde significatur *ensem mitti*. Quòd autem fit in initio dictionis potest fieri in medio, in fine, vel in qualibet alia parte vocabuli. Exemplum fit *Luctus* à nomine *fluctus*, reiecto *f*. *&c. mus* à nomine *musa*, reiecto *à*, finali: *aurum* à nomine *auarum*, reiecto *à* medio: *musca* à nomine *musica* reiecto *à* medio. permultis rebus diuersis. Voce.

6. Cùm diuiditur vocabulum in suas partes, & fit sensus alter. v.g. ex voce, *dominus*, fit *do minùs*. Diuisione vocaboli.

7. Cùm opposita componuntur inter se. Vt si diceretur, *sum & non sum volu-* Cōpositione, oppositorum.

cris : ad significandum *medium aliquid inter volucrem & non volucrem* .

Distributione omnium quæ rei competunt. 8 Cùm rei alicui singula tribuuntur quæ illi competunt, & quasi in suas partes distribuuntur, vel verbis, vel picturà, v. g. ad significandum annum, sic posset dici ænigmaticè: *Est unus genitor cuius sunt pignora bis sex; his quoque triginta nata, sed dispare forma, aspectu hinc niuea nigris & vultibus inde: sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.* Quòd si pingeretur *annus*, sic adumbraretur, Pingeretur *senex quem duodecim filiј circumstarent, quibus singulis sua insignia tribuerentur pro diuersitate mensium; quilibet ex iјs, triginta puellas bicolores traheret, se se inuicem pellentes & quasi chorum ducentes* .

Emalema. Emblema est id, quod operi cuipiam vel inseritur vel insculpitur.

Embl. differt. In hoc ænigma differt ab emblemate, quòd ænigma sit rerum expressio: emblema verò morum, virtutis, opum, fortunæ, & dignitatis.

Prouerbium. Prouerbium, seu *Parœmia* Græce, est celebre dictum, quod sua nouitate insigne.

Lex Æterna Lex vel est æterna, vel naturæ, vel humana.

Lex æterna est à Deo solo.

Naturæ Lex naturæ est quidem à Deo, sed vt autho-

authore naturæ: lex humana, ab homine.

Lex humana vel est Ecclesiastica, vel Ciuilis. Humana.

Ecclesiastica est ab Ecclesia.

Ciuilis est à Magistratibus. Ecclesiastica Ciuilis

Ius vel est Commune, seu Gentium, vel est Proprium, seu Ciuile. Ius.

Ius commune pertinet ad omnes Gentes. Commune,

Proprium ad certam aliquam prouinciam, vel regnum, vel ciuitatem. Proprium.

Ius Ciuile vel est scriptum, vel est longa consuetudine receptum. Ius Ciues.

Testes sunt ij qui aliquid testātur quocunque modo. Vnde testis vel est oculatus, qui oculis vidit; vel est auritus, qui audiuit; vel iuratus, qui se iure iurando astrinxit. Testes.

Pactum, seu conuentum, ex id quod inter aliquos conuenit. Pactū.

Tabulæ, sunt testimonia est scripto prolata. Tabulę.

Signa, complectuntur chirographum, subscriptiones, & sigilla tabulis impressa. Signa.

Quæstio, prout sumitur hoc loco, est cruciatus, quo reus ad confessionem sceleris adigitur. Quæstio.

Iusiurandum, est affirmatio vel negatio rei alicuius religioso ritu facta. Iusiurādum.

Præiudicia, sunt iudicia facta ante causam de qua agitur. Præiudicia.

Fama. Rumor ſeu fama, eſt ſermo diſperſus ſine vllo authore.

De vſu Locorum Rhetoricorum.
Vſus Loci à Definitione.

DEfinitio per cauſas omnes, vim habet magnam ad amplificandum, & potiſſimum tractata per repetitionem; Per interrogationem,& reſponſionem, valet in Laudationibus.

Per Synonymiam, confert ad laudem & vituperium.

Per multiplicem ſimilitudinem ad rem notam amplificandam & oblectandos auditores adhibetur.

Generatim loquendo, locus à definitione, vſurpatur tum ad confirmandum, tum ad amplificandum; nonnumquam ad delectandum.

Vſus Loci à Notatione.

LOcus à Notatione, vſurpatur præcipuè in facetijs & acuminibus ad laudem vel vituperium; vel etiam aliquando ad faciendam fidem: nonnunquam ad motus concitandos, ſiue leues, ſiue vehementiores, pro ſignificatione nominis.

Vſus Loci ab Enumeratione Partium.

LOcus ab enumeratione partium cùm ſit deſtributio vel generis in ſuas ſpecies, vel ſpeciei in ſua indiuidua, vel cauſæ in ſuos effectus, vel cauſæ vniuerſalis in ſuas ſpeciales, V. G. in efficientem, materialem, formalem, & finalem; vel accidentis in ſua ſubiecta, v. g. albedinis in niuem, hominem, telam &c. vel rei in ſua adiuncta & circumſtantias: vel totius in ſuas partes; ſiue ſit totum naturale, vt corpus humanum; ſiue ſit totum politicum, vt Reſpublicæ &c. plurimùm facit ad confirmandum, refutandum, deſcribendum, & amplificandum.

Adhibetur etiam vt oratio clarior fiat.

Non parum etiam confert ad oppugnandum aduerſarium: Præterea ad fidem faciendam: quod enim negatur aut affirmatur de toto, negatur pariter aut affirmatur de ſingulis partibus. Similiter quod negatur & affirmatur de ſingulis partibus, negatur aut affirmatur de toto.

Vſurpatur potiſſimùm in Exordijs, Narrationibus, & Confirmationibus, ſed maximè in Perorationibus.

Denique valet in Genere Demonſtra-

tiuo, cum aliquid describitur vel amplificatur.

Vsus Locis à Coniugatis.

LOcus à Coniugatis exilis est, & nullius roboris, nisi fiat & voce & significatione, vel saltem significatione.

Eiusmodi locus vsurpatur in Comparationibus, in Amplificationibus: nec parum confert ad delectationem, cùm oratio veritate sermonis illustratur.

Vsus Loci à Genere.

LOcus à genere valet 1. ad excusandum crimen alicuius personæ, transeundo ad excusationem criminum similium in genere.

2. Ad docendum, laudandum, & vituperandum, progrediendo ab hypothesi ad thesim.

3. Ad instandum vehementer.

4. Ad refutandum, traducendo scilicet speciem ad genus.

Valet etiam in Exordijs, descendendo à thesi ad hypothesim.

Cauendum est autem diligenter nè hic locus longiùs excurrat.

Vsus Loci à Spetie seu Forma.

LOcus à specie seu forma figuratè tractari debet; valetque plurimùm ad

ornan-

ornandum, & amplificandum. Non rarò vrsupatur in Exordjs, in quibus pars aliqua certa laudatur, vel plures aliæ singulares à quibus fit descensus ad speciem, V.G. si quis laudaret virtutem, posset exordiri à laude Iustitiæ. Temperantiæ, &c. deinde descendere ad laudem virtutis,

Vsus Loci à Similitudine.

LOcus à similitudine diuersimodè tractari potest.

1. Nulla expressa similitudinis nota.
2. Data similitudinis ratione, sed concisè & sine vlla partium enumeratione.
3. Partibus omnibus similitudinis expositis, sed breuiter.
4. Denique ijsdem partibus expositis, sed longa & prolixa oratione.

Valet autem plurimùm similitudo per allegorias, metaphoras, & parabolas, maximè ad amplificandum.

Per inductionem vsurpatur ad instandum, & vrgendum aduersarium.

Per collectionem exemplorum, ad persuadendum.

Per comparationem, ad vrgendum & ornandum.

Per fictionem, ad delectandum.

Nonnunquam adhibetur tantùm ad ornatum orationis; aliquando ad rem

illustrandam & magis confirmandam.

Vsus Locis à dissimilitudine.

Locus à Dissimilitudine vsurpatur,
1. Ad rem illustrandam.
2. Ad amplificandam.

Vsus Loci ab Oppositis.

Locus ab oppositis magnam Oratori suppeditat copiam gratiam, varietatem: Vsurpaturque precipuè in amplificationibus & argumentationibus.

Locus à contrarijs per negationem, frequens est in Exordijs quorum initium est per has particulas, *Et si*, *quanquam* & similes; quibus subijcitur, *tamen*.

Argumentatio à contradicentibus non rara est in defensionibus.

Vsus loci ab Adiunctis,

Hic locus valet plurimùm 1. ad laudem.
2. Ad exaggerandum crimen.
3. In coniecturis firmandis.
4. In exquirenda intentione:

Exemplum sit pro Amerino, num. 85. & pro Milone, numer. 54. & 56. & pro Roscio, num. 39. & 2. Philipp num. 53. & n. 58. & nu. 104.

5. Valet

5. Valet ad laudem & vituperium.
6. Ad faciendam fidem in coniecturalibus causis.
7. Ad minuendum crimen.
8. Ad narrandum. Exempl. sit de Coniectura in Antonium Orat. 3. num. 28.
Denique valet ad describendum.

Vsus Loci ab Antecedentibus & Consequentibus.

HIc Locus ab Anteced. & Conseq. plurimùm confert.
1. Ad dissuadendum vel suadendum.
2. Ad faciendum odium.
3. Ad mitigandum dolorem.
4. Ad confutandum.
5. Ad permouendos animos.
Denique ad describendum.
Exemplum sit de odio, pro Milone, n. 78. & in Pisonem, n. 84
Exempl. confutationis sit pro Plancio, n. 14.

Vsus Loci à Repugnantibus.

HIc Locus plurimùm acuminis habere debet; valetque.
2. In confutationibus, cum orator probat, aduersarium pugnantia dicere, vel cogit fateri. Exemplum sit pro Cęlio, num. 45, ab his verbis. *Scitote, Iudices*

eas

eas cupiditates quæ obijciuntur Cœlio; atque hæc studia de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse: fieri enim non potest vt &c.

2. Valet in Amplificationibus, cum singula singulis opponuntur. Vt Orat. 7. in Verrem. n. 84.

Vel quando multa Conglobata multis repugnantibus opponuntur. Vt pro domo sua, numer. 4. ab his verbis: *Tu ne es ille quo Senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem Resp. desiderauit? &c.*

Vel cùm rei vni multa repugnantia opponimus.

Valet præterea ad ornatum orationis.

Vsus Loci a Causis.

ARgumentum à Causa efficiente vsurpatur.

1. Ad confirmationem rei.
2. Ad persuadendum aliquid, vel dissuadendum.
3. Ad rem discutiendam, & conijciendam.
4. Ad rem amplificandam, vel minuendam.
5. Ad hortandum, vel dehortandum.
6. Ad laudandum, vel vituperandum.

Exemplum sit, pro discussione rei, Act. 3. in Verrem, num, 7. ab his verbis:

Multa

Multa & in Deos, & in homines impiè &c.

Pro hortatione, 1. in Verrem, nu. 51. *Cogita quo loco sis, quid dare populo Rom. quid reddere maioribus tuis debeas &c.*

Pro dehortatione, libr. de Senectute, num. 40. *Nec enim libidine dominante, temperantia locum esse omninò &c. quò circa nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem &c.*

Pro amplificatione, orat. post reditum in Senatu, nu. 6. ab his verb. *Quà strage nonnulli permoti Magistratus, partim metu mortis, partim desperatione Reipubl. paululum, causa recesserunt: reliqui, &c.*

Denique pro vituperio, act. 3. in Verr. n. 17. ab his verbis. *Qui simulatque ei sorte prouincia Sicilia obuenit, statim Romæ, & ad vrbem ante quàm proficisceretur quærere ipse secum, & cum suis cogitare cœpit quibusnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere posset &c.*

Argumentum ductum à Causa Materiali, valet plurimùm.

1. In rerum manufectarum commendatione.
2. In extollendo rei pretio.
3. In exagerando vel minuendo.
4. In preferendo rem alteri rei.

5. In

5. In laudandis diſciplinis.
6. In amplificando.
7. In hortando vel dehortando.
Argumentum ductum à Cauſa Formali vſurpatur.
1. Ad rem clariùs explicandam, & deſcribendam.
2. Ad perſuadendum vel diſſuadendum.
3. Ad amplificandum, vel minuendum.
Argumentum à Cauſa Finali ductum plurimùm valet.
1. In laudibus, & vitupetarionibus. Exemplum ſit Orat, in Piſon.n.56.ab his verb. *At audiſtis P.C. Philoſophi vocem, negauit ſe triumphi cupidum vnquam fuiſſe; O ſcelus! o peſtis! o labes! cum extinguebas Senatum, vendebas authoritatem huius ordinis &c.*
2. Ad rem confirmandam.
3. Ad rem amplificandam, vel minuendam.
4. Ad motus excitandos.
5. Ad hortandum, vel dehortandum.

Vſus Loci ab Effectis.

Locus ab Effectis, magni eſt ponderis, tum in genere demonſtratiuo, tum in deliberatiuo etiam & in quæſtionibus infinitis. Exemplum ſit 1. de Oratore, num.30. ab his verbis: *Neque verò mihi quicquam præſtabilius videtur,* *quàm*

quàm posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere &c.
5. Philippica, num. 24. *Post autem neque sacrificijs solemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus; at quò? in prouinciam &c.*

Valet etiam non parùm in amplificationibus, descriptionibus, moribus excitandis, hortationibus, obiurgationibus. Vt pro Cluentio, numer. 32. ab his verb. *Memoria teneo Milesiam quandam mulierem, cùm essem in Asia, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitali esse damnatam &c.*

Valet in Suasionibus, laudationibus, vt pro Plancio n. 26. *Etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se vulgò viri boni, cùm hic Tribunatum peteret, vltrò offerebant, &c.*

Valet denique in vituperationibus. Vt in Pisonem num. 18. *E dicere est ausus, cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitijs; superare cupiebat, vt Senatus, contra quàm ipse consuisset, ad vestitum rediret, &c.*

Vsus

Vsus Locis à Maiori ad Minus: vel à Minori ad Maius.

LOcus à maiori ad minus, prodest ad confirmandum, vel destruendum. Exemplum sit pro Amerino, num. 131. ab his verbis. *Etenim si Iupiter Opt. Max. cuius nutu & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur &c. hominibus nocuit &c. quid miramur L. Syllam, cùm solus Remp. regeret &c. aliqua animaduertere non potuisse &c.*

Prodest 2. ad amplificandum, & ad delectandum. Exemplum sit pro Milone num. 16. ab his verbis. *Domi suæ nobilissimus vir, Senatus propugnator, atque illis quidem temporibus penè patronus &c. M. Drusus occisus est: nihil de eius morte populus &c.* & num. 62. *Quòd si nondum satis cernitis, cùm res ipsa tot, tam claris argumentis, signisque luceat &c.*

Locus à minori ad maius vsurpatur.

1. Ad confirmandum
2. Ad persuadendum.
3. Ad delectandum.
4. Ad amplificandum, v. 2. In verrem, num. 28 ab his verbis. *Quid est quæso metello, &c.*

Vsus Loci à Pari.

LOcus à pari vſurpatur:

1. Ad amplificandum Vt 5. Philipp. n. 25. *Ergo Hannibal hoſtis, ciuis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur & cogitet? totum iter &c.* Item, 7. act. in Verr. num. 48. *Atenim idcirco nauem &c.*

2. Locus à Pari valet ad ornandum. Exemplum ſit pro Roſcio Amerino, n. 50. *Na tu, Eruci, accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cum ab aratro accerſebantur, qui Conſules fierent. Etenim &c.*

3. Valet ad refellendum. Exemplum ſit Orat. 2. pro Lege Agraria num 44. *Quid cenſetis cùm iſti decem viri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu &c.* Pro Muræna nu. 35. *Atenim in præturæ petitione, prior renũtiatus eſt Seruius &c.*

4. Locus à Pari valet ad vituperandum, vel laudandum. Exemplum ſit 1. Catilinaria, num. 17. *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Serui meherculè mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem &c.* Item, pro

Plan-

Plancio num. 70. *Quo loco quæro ex te-num id in iudicio Calidij putes, quod ego in Plancij facio &c.* Item, 6. In Verrem num. 3.

De his omnibus locis intrinsecis pertractandis lege caput de argumentatione.

Vsus Locorum Rhetoricæ Extrinsecorum.

TEstimonium Diuinum magni est momenti ad confirmationem rei.
1. Quia probatur omnibus Gentibus.
2. Quia illius contemptores, graues pœnas luerunt.

Debent autem esse oracula, clara; non dubia, non incerta, non ambigua.

Vaticinationes & prædictiones valent ad confirmationes & ornatum orationis, si tamen sacræ sint, & à prophetis, non verò si à sceleratis hominibus, vel insanis aut stultis.

Auspicia & auguria rem confirmabant apud Paganos, sed ineptè: possent tamen habere suam authoritatem si à Deo essent data in signa suæ voluntatis.

Responsa Sacerdotum, Aruspicum, & Coniectorum, olim eiusdem erant ponderis, atque auspicia.

Exempla, orationem illustrant, & confirmant, valentque in amplificationibus, ductis Locis.

1. Ab

1 Ab adiunctis.
2. Ab oppositis.
3. A maiori ad minus, à ſimili, à diſſimili, à contrario &c.

Symbola, Tropi, Allegoriæ Ænigmata, Emblemata, & Prouerbia orationem ornant, ſi moderatè vſurpentur. Valent etiam ad Confirmationem Prouerbia præcipuè adhibentur, cum aliquem irridemus.

Leges multùm habent ponderis in Comrfirmatione.

Refutantur autem.

5. Si probatur eas mutari poſſe pro hominum arbitrio.
2. Si oſtendatur cauſam legis non eſſe ampliùs.
3. Si aliquid iniuſtitiæ in ea deprehendatur.
4. Si lex legi opponatur.
5. Si neceſſitas agendi contra legem confirmetur.

Teſtes, adhibentur ad confirmationem rei, ſed cum magnifica laude, vt maior ſit eorum authoritas.

Teſtes oculati, ſunt, potiores.

Refutantur autem teſtes

1. Si praui mores illorum aperiantur.
2. Si doceamus teſtes ipſos venire in partem periculi.
3. Si domeſtici ſint, ſi amici, & affines.
4. Si inimici ſint.

5. De-

5. Denique si sint infames.

De his exempla passim apud Ciceronem vt Diuinat in Verr. num. 13. ab his verbis. *Sunt testes viri clarissimi nostra ciuitatis &c.*

Pro Roscio Comœdo num. 42. *Quo teste igitur hoc plenum faciam? Venerat, vt opinio hac res in iudicium, certè quis erat petitor? Fannius; quis reus? Flauius; quis iudex Cluuius. Ex his vnus est mihi testis producendus qui pecuniam datam dicat: quis est ex his granissimus? sine controuersia qui omnium iudicio comprobatus est iudex &c. quam tu si ex censu spectas, eques Romanus est? si ex vita, homo clarissimus est si ex re iudicem supsisti, si ex veritate, id quod si ire potuit & debuit, dixit &c.*

Pro eodem Roscio Comœdo num. 44. *Manlio & Luscio negat esse credendum? dic, aude; est tua contumacia, arrogancia, vitaque vniuersa vox: quid expectas? quàm mox ego Luscium & Manilium dicam ordine esse Senatores: atate, grandes natu; natura, sanctos & religiosos &c.*

Por Archia Poeta nu. 8. Quid horum infirmari potest? *Heracliane esse eum adscritum negabis? adest vir summa authoritate & religione & fide Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audiuisse sed vidisse; non inter fuisse sed*

sed egisse dicit. Ad sunt Heracleenses Legati nobilissimi homines &c.

Pro Flacco num. 9. *At quos testes? primùm dicam (id quod est commune) Graces: &c. sunt multi impudentes, illiterati, leues &c.*

Pro Fonteio num. 13. *Quid est igitur vbi elucere possit, prudentia? Vbi discerni stultus auditor & credulus ab religioso & sapienti iudice? nimirum illud in quo ea quæ dicuntur à testibus, coniectura & cogitatione traduntur: quanta authoritate quanta animiæquitate, quanto pudore quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bona, quanta cura quanto timore dicuntur.*

Pro Roscio Amerino num. 102. *Alter (si dijs Immortalibus placet) testimonium etiam in Sextum Roscium dicturus est: quasi verò id nunc agatur, vtrùm id quod dixerit, credendum; an quod fecerit, vindicandum sit.*

Pro Flacco num. 22. *Hoc verò quid est? vna sedent ex accusatorum subsellijs sedent non dissimulant, non verentur &c.*

Pro Cælio num 63, *Atque equidem vehementes expectabam quinam isti viri boni, testes huius manifestè deprehensi veneni, nulli enim sunt nominati, sed non dubito quin sint pergraues*

qui

qui primùm sint talis fœminæ familiares &c.

Denique pro Flacco num.90. *At falcidianum crimen est ingens, talenta quinquaginta se dicit Flacco dedisse, audiamus hominem; non adest; quomodo igitur dicit? &c.*

Pacta & conuenta proferuntur ad confirmationem iuris.

Debent autem in his explicari diligenter circunstantiæ omnes.

Infringuntur verò si ostendatur pacta opponi legibus aut Iuri scripto vel naturali.

Tabulæ eiusdem sunt authoritatis, si magno numero similes proferri possint, si integræ, nec suppositæ, si sint à viris probis & sapientibus.

Signa habent authoritatis non parum ad vrgendum, modò non sint per vim, metum, & fraudem extorta.

Quæstiones seu Cruciatus rem confirmant, si confessionem extorqueant, quæ post Quæstionem à Reo comprobetur.

Infirmantur verò quæstiones, si metui & dolori confessio tribuatur. Exemplum sit pro Sylla num.7.

Iusiurandum est magni ponderi.

Refutatur autem, si probetur Violatum esse aliquando, vel pecunia extortum aut quolibet alio crimine corruptum.

Præiudicia non parum conferunt ad rei

rei confirmationem; maximè si illorum authoritas commendetur. Vt pro Cluentio num. 107. ab his verbis. *Ac ne ex facto solùm sapientes illos iudicetis, sed etiam ex nominibus ipsis quod ij fecerint restissimè ac sapientissimè factum putetis &c.*

Tractantur præiudicia per comparationem ad ea quæ nunc ferenda sunt iudicia; suntque hortandi, & monendi Iudices, vt aliorum iudicum decretis inhæreant.

Infirmantur præiudicia.

1. Si probetur causam esse dissimilem.
2. Si ostendatur aliquid in his non rectè factum.
3. Si aperiatur aliquid noui, quod accesserit causæ.
4. Si doceatur obesse constantiæ, famæ, Religioni, quòd sententia mutetur.

Denique rumores suam etiam habent authoritatem; modo nihil malitiæ irrepserit, nec fuerit nimia credulitas: Quare, his duobus capitibus infirmantur.

Ordo, qui potest obseruari in argumentatione varianda, infrà discutietur.

OBSERVATIONES.

De Locorum Rethoricæ ad quæ suis quæstiones propositas accomodatione.

OBserua 1. quod, cum argumentorum inuentio, vel probationi vel amplificationi vtilis esse possit, operæ pretium esse nemo non sentiat scire, quæ rem probent, quæ amplificent, quæ rei aliquà ratione conueniant aut aduersentur; contrariorum enim eadem est disciplina.

Obserua 2. quòd quædam intrinsecùs, quædam verò extrinsecùs rei cuilibet competant.

Quenam intrinsecùs rei conueniant.

Intresecùs conueniunt, genus, species, differentia, definitio, proprium accidens, pars, totum, causa, & effectus. Res enim nulla est cui hæc tribui non queant.

Inter accidentia numerantur adiuncta quæ aliter dicuntur adiacentia & in tria tempora diuiduntur; scilicet in antecedentia, concomitantia, & consequentia.

Quænã extrinsecùs rei competant.

Extrinsecùs rei competunt similia, dissimilia, maiora, minora, paria, exempla, testimonia, & oracula.

Ex his omnibus tùm intrinsecis, tum extrinsecis, probatio omnis & amplificatio eruitur. Itaque cùm proposita tibi quæstio

quæstio fuerit probanda, vel amplificanda, argumenta hauries ex his fontibus, modo superiùs dicto.

Quod vt facilius videatur, vtere hoc exemplo. Persuadendum sit *Sanctæ Orationis studium*:

Primum argumentum sumetur à genere, nempe *à religione*, quæ colenda est.

Secundum à specie, seu à definitione, nempe *ab eleuatione mentis in Deum*.

Tertium à caussis, quæ sunt 1. *Spiritus Sanctus* nos impellens ad orandum gemitibus inenarrabilibus, 2 *Huius vitæ miseria ac pericula*, in quibus continua diuini numinis ope indigemus.

Quartum ab effectibus, qui sunt v. g. *Augumentum gratiæ & gloriæ, satisfactio pro peccatis impetratio rerum quas petimus animi corroboratio &c.*

Quintum à partibus, quæ sunt, *oratio vocis, & oratio mentalis*, vel *obsecrationes postulationes, gratiarum actiones &c.*

Sextum ab adiuncti 1. necessario cum illa coherentibus. Huiusmodi sunt *fides, spes, charitas, attentio*, & cæteræ virtutes, siue quibus oratio grata Deo minimè est. 2. ab adiunctis eam consequentibus: Vt sunt, *vitæ puritas, solitudinis amor, robur animi, deuotio, &c.*

Septimum à similibus, V. G. à *lectione*, *meditatione*, & *contemplatione*, quibus etiam mens eleuatur in Deum.

Octauum ab oppositis, V. G. *ab obliuione Dei*, quæ malorum omnium est origo; vt *oratio*, bonorum omnium fons & initium est.

Nouum ab exemplis & testimonijs Sacrarum Literarum, & SS. Patrum, quæ orationem commendant &c.

Secundum exemplum sit, *linguis studendum esse*: hæc propositio probari poterit.

1. Ab autoritate virorum literis ac virtute illustrium, V G. Hieronimi, Tertulliani, Origenis qui nos ad hanc studij rationem cohortantur.

2. A definitione; quia linguæ quibus probauimus studendum esse, quidā sunt quasi fontes & capita scientiarum.

3. Ab enumeratione partium, quia nosse quid Græci quid Latini, quid aliæ gentes quarum magna vis olim, & potentia fuit, locutæ sint, magnam tum voluptatem tum vtilitatem affert.

4. A notatione nominis, nempe *lingua*, quod deduci videtur, quasi *lingua*, à *dico*: in quo, à belluis distinguimur.

5. A coniugatis, Vt, *Quos enim homines intuemur, suspicimus, admiramur, nisi viros multiplici linguarum notitia politos, qui vna sua lingua, tot Gen-*

tium

tium idiomata sensusque exprimant?
6. Ab adiunctis, proferendo eiusmodi *Hominem, qui se in omnes linguas studio diligentiaque insinuarit, qui proprietates illarum, origines significationes, ipsa etiam interiora probè calleat, quo quide excellentius fingi potest quid mirabilius, quid ipsi Deo similius? neque enim ipsas tantùm edidicit linguas verùm & omnes omnium gentium mores, habitus, venustates, consuetudines, leges status, omnem denique humanitatem exhausit.*

7. A genere, Vt. *Humaniores desiderantur literæ, ergo linguæ exoptandæ sunt è quibus humanarum artium fluit ac manat eruditio*. Idem de cæteris luculentioribus disciplinis.
8. A simili, *Non multò secùs ad Iurisconsultum non vna Iurisprudentia, non vna formularum & notarum omni, cumulatum doctrina efficit, Ita &c.*
9. A dissimili, Vt, *Imperitos ipsos ac rusticos qui sine scientia, natura ipsa duce, loquuntur, ab honestorum & eruditorium cœtu remouemus: eos igitur qui quod dicunt ac loquuntur probè intelligunt, amplectemur.*
10. A contrario, *Si nihil est iniucundius, quàm in eum hominem incidere qui dicti sui rationem rogatus afferre nullum possit quid iucundius erit quàm*

si in eum incideris, qui omnia sua distinguat ac diuidat, eaque tibi notatione verborum explicet, nihil ut requiras copiosius.

A consequentibus, *Fac, omnia antiquitatis monimenta quæ linguis gentium consignata sunt, aut iniuria temporum, aut belli diuturnitate esse collapsa, quanta in ciuitatibus barbaries, & in academijs inscitia dominabitur?*

Confirmari potest eadem propositio 1. ab exemplis gentium quæ linguam nullam colunt, præter suam, *Sunt enim agrestes illæ, & illiberales, quales sunt Turcæ, Africani, & vltra Indum Sinenses.*

2. A minori, Vt, *Sodidarum artium magistri atq; opifices in ediscendis multis artibus singularem quandam operam ponunt: nos in liberali literarum studio, multiplici linguarum facultati nullam nauemus operam?*

3. A maiori, eodem vti potes argumento.

4. A pari, Vt, *Vna ex liberalibus scientijs non sumus contenti, ergo neque lingua nobis vna satis esse debet.*

5. A causis, Vt, *Cùm linguæ singulari quodam munere à Deo sint in hominum mentes infusæ quantùm à nobis coli debent?*

6. Ab effectis, Vt, *Cùm hæc vna linguarum*

guarum scientia tam elegantes sint ac polita nostra litera, & honores amicitia qua comparentur, quis ab earum se se studijs libens amoueat?

Obserua 3. quod quamuis ex causis, & principijs res meliùs cognoscatur, frequentiùs tamen ab effectibus ad causas progrediamur; quia effectus notiores sunt causis. Hæc autem methodus vsurpatur sæpiùs in commendatione virtutũ, & vituperatione vitiorum. Vide Senecam lib. 1. de ira, ab his verbis *Exegisti à me, Nouate, vt scriberem quemadmodùm posset ira leniri &c.*

Obserua 4. quod circumstantiæ rerum & personarum plurimùm facere soleant ad probationem, & amplificationem in quæstionibus finitis.

Circumstantiæ autem personarum sunt vndecim, 1. nomen, 2. natura, 3. victus, 4. fortuna, 5. habitus, 6. affectiones, 7. studia, 8. consilia, 9. facta, 10. casus, 11. dicta.

In natura hæc considerantur, sextus, natio, patria, cognatio, ætas, dignitas, &c.

In dignitate attenduntur commoda, vel incommoda à natura data animo aut corpori. De cæteris aliàs.

Circunstantiæ rerum sunt septem 1. Complexio totius ipsius rei, 2. causa per quam, propter quam, & cuius gratia, ali- Circumstantiæ rerum.

aliquid factum est, 3. locus, 4. tempus, 5. occasio, 6. modus complectens quemadmodùm, & quò animo res facta est: 7. denique facultas continens instrumenta quibus res perfecta est.

Obserua 5. quod quamuis hypotheses seu quæstiones finitæ tractari possint per argumenta ducta à circunstantijs superiùs enumeratis hypothesis tamen priùs reducenda sit ad thesim, hoc est, oportet, vt quæstionem de re singulari reuocemus ad quæstionem de re in communi sumpta: expedit enim à communioribus ad minùs communia descendere. Exemplum sit; si velim aliquem hortari ad colendam modestiam, agam priùs ad virtute in communi, deinde ad singulares modestiæ circunstantias descendam Alterum sit exemplum: Orator deterre velit à superbia; vbi mala quæ hoc vitium comitantur, exposuerit, poterit ad singulares personarum circunstantias venire: V. G. agere debebit de circunstantijs quæ probant, *quàm turpè sit senem*, *adolescentem*, *nobilem &c. superbum esse*. Hæc obseruatio magni momenti esse debet, præcipuè apud eos qui salutem animarum procurant, nè omnis sermo in aerem & sine fructu abeat.

Quid persona. Obserua 6. quòd per *personam* intelligatur apud Rhetores res singulares ratione, & voluntate prædita, v.g. *Petrus*, *Ioannes*

Ioannes &c. Per *res*, intelligantur ea om- quæ personæ accidunt, v.g. *equi gladius, cruor, vulnus &c.* Aliquando tamen persona sumitur etiam pro circunstantia aliqua, vt cùm dicitur. *Petrus sustinet personam Regis in theatro:* tunc enim impropriè *persona* sumitur. Item *res* complectuntur etiam actiones ipsas v g. *pugnare percutere &c* De his consule confirmationem Oration. pro Milone. Quid res.

Obserua 7. quòd ad genus demonstratiuum commodus sit locus ab adiunctis, complectens adiuncta animi corporisq; & externa adiuncta Corporis adiuncta sunt v.g. *pulchritudo, valetudo, robur, ætas &c* Adiuncta animi sunt *virtutes*, tam à natura insitę quàm ab arte. A natura sunt v.g. præclara memoria, elegans ingenium propensio ad bonum &c. Ab arte & studio sunt scientiæ & artes liberales, item habitus, & actus qui ex virtutibus emanant. Loci generis demonstrat.

Obserua 8 quòd generi deliberatiuo conueniat locus à causis qui locus ex duplici fonte oriri potest, nempe ex voluntate & facultate, deliberatio enim est de re facienda vel non facienda: si autem alterum ex his duobus desit v g. vel voluntas vel facultas, nihil fieri potest. Ita Cicero probat 1. Catilinaria, fuisse quidem facultatem Catilinæ, non verò voluntatem subleuandæ Reipublicæ. Loci generis deliber.

Ad facultatem tria requiruntur; 1.

opportunitas, 2. facilitas. 3. necessitas.

Opportunitas complectitur loca, tempora opes, & cæteras omnes causas adiuuantes.

Facilitas continet opportunitatem rerum gerendarum,& spem rei obtinendæ.

Necessitas duplex est, vna est absoluta, vt *Deum esse*: altera est cum conditione, vt, *Homini moriendum esse nisi* v.g.*comedat*.

Ad voluntatem refertur bonum, hoc enim vnum voluntas nostra intendit, eiusque est finis.

Bonum autem triplex est, 1. iucundum, vt *voluptates*, 2. vtile, vt *lucra*, 3.honestum, vt *dignitas honor & virtutes omnes*. Hæc tria bonorum genera pro ratione personarum ad quas orationem habemus, proponenda sunt, v.g. viris honestis & probis, quod honestum est ita debet proponi, vt vtili & iucundo anteponatur. Iuuenibus vtile & iucundum proponi solet, quia ætas illa propẽdet ad eiusmodi bona Auaris deniq; & sordidis viris & plebeculę quod vtile est exponitur,& obtinendum demonstratur.

Obserua 9. quòd ad idem genus deliberatiuum, maximè sit accomodatus locus à comparatione nihil enim est efficacius ad suadendum aut dissuadendum, quam exemplum.

Obserua 10. quòd ad genus iudiciale, vti-

vtiles sint duo loci insiti, à causis & effectis, & duo assumpti, à testimonijs & cruciatibus in coniecturis enim factum probatur, si ostendatur voluntatem adfuisse & facultatem. Hæc autem voluntas adfuisse probabitur ab vtili, quia scilicet vtilitas sperabatur ex facto. Eadem voluntas probabitur ab animi perturbationibus, v. g. ab ira, ab odio inueterato; ab vlciscendi studio, ab iniuriæ dolore, à cupiditate honoris, gloriæ, lucri &c. Item probabitur ex moribus, indole: item ex arte qua quis imbutus est, denique ex consuetudine. Loci generis iudicialis.

Facultatem adfuisse probari potest quatuor modis, 1. si quis speret impunitatem facti: 2. si speret se rem effecturum, 3. si minorem pœnam quàm facinus sit, timeat: denique si voluptatem maiorem ex facinore, quàm ex pœna dolorem speret. Vide Orat. pro Milone sect. 64.

Factum meliùs probatur ex effectis, quàm ex causis: causæ enim probant tantùm voluisse quemlibet & potuisse, non verò propterea fecisse: effectus autem, rem factam esse. Pessimi alicuius facinoris effecta esse solent *hæsitatio*, *titubatio pallor*, *allocutio cum inimicis*, *cruor*, *fuga*, *&c.*

Idem factum confirmant testes, qui maximè laudandi sunt, vt plus authori-

tatis habeant. Adduntur aliquando quæstiones, seu cruciatus.

Defensor & accusator ijsdem vtuntur locis retoricis, prout causam sustinent.

Obserua 11. Ad iudiciale genus, cum de iure quæritur, pertinere locos insitos à definitione & causis: ex Assumptis, locos, à scriptis, factis, & dictis. Nihil enim tam clarè ius ostendit, quàm ipsa definitio iuris: quid ius ostenditur ex causis, quæ vel crimen asserunt, vel remouent. Ad causas referuntur pietas, necessitas, inscitia, casus, & velatio criminis: hoc est, si ostendatur qui damnum passus est, causam fuisse sui damni.

Ad scripta referuntur ea quæ sunt moribus gentium & quasi communi pacto populorum aut maiorum sancita. Hæc autem sunt vel priuata, vt *tabulæ*, *pacta*, *conuentum*, *stipulatio*: Vel publica, vt *Senatus consulta fœdera & leges*: quæ verò non sunt scripta, vel consuetudine, vel consensu hominum obtinentur.

Obserua 12. quòd ad genus iudiciale, cùm factum negari non possit, vsurpandus sit locus assumptus à deprecatione: quamuis hic locus non valeat in iudicijs legitimis, quæ ex allegatis & probatis fieri debent: valeret, tamen apud eos

qui

qui possent dispensare de legibus. Ita Cicero pro Deiotaro & Ligario apud Cæsarem. Additur etiam deprecatio in iudicijs legitimis, & seuerioribus, cùm ius nostrum non satis constat, Ita Cicero pro Milone.

Obserua 13. quòd ad quæstiones de ambiguo scripto, de discrepantia scripti à voluntate illius qui scripsit, & descriptis contrarijs, vtiles sint loci ab adiunctis, à causis effectis, consequentibus, & præcipuè à comparatione.

Probatur autem hoc vel illud, scripto significari. 1. si, quam afferimus interpretationem, laudemus, & dignam scriptore ostendamus: oppositam vero interpretationem vituperemus, ideò quod sit, 1. absurda. 2. inutilis, 3. turpis, 4. iniqua; denique contraria scriptis alijs eiusdem scriptoris, quæ si non suppetant, scriptis aliorum qui de eadem re scripserint.

Probatur 2. si ostendamus sententiam nostram consentaneam esse prudentum virorum iudicijs, veram esse, & iustam, nihil habere captionis aut vitij. Hic aduerte locum ab adiunctis & comparatione plurimùm facere ad commendationem sententiæ quæ profertur.

Cùm quæstio est de discrepantia scripti à voluntate scriptoris, qui scriptum defendit, causam suam sic aget, 1. expo-

net

net scriptum clarè & secundùm natiuam significationem. 2. scriptũ recitabit, 3. instabit aduersario frequentibus interrogationibus, vt Cic. in Philippicis, maximè, in vltimis, 4. recitationem iterabit, sed interruptè, permiscendo aliquid identidem, vt Cicero 1. & 3. Philipp. 5. interrogationes suas renouabit. 6. Ad iudices orationem suam conuertet, eosque quasi officij sui admonebit; & contendet, nequaquam esse iudicibus à vi scripti discedendum. Deinde totum negotium amplificabit, laudando legem ad scriptum accommodatam; vrgendoque aduersarium, & eum increpando, quòd scriptum corrumpere voluerit: item & proferendo exempla quibus sententiam suam magis & magis confirmet. Denique rationem sciscitabitur quare id quòd aduersarius asserit non sit exceptum: probabit iniquam aut inutilem legem futuram, multaque incommoda recensebit quæ ex interpretatione aduersarij sequerentur. Hoc autem fieri præsertim debet in peroratione. Sed aduerte hanc tractationem requirere locos ab adiunctis, ab effectis, à consequentibus, & presertim à comparatione.

Qui sententiam suam contra scriptum tuetur, ostendet non in literis, sed in mente scriptoris legem esse positam: causam afferet rei sic à se expositæ, & probabit

bit exemplis, prætcrea enumerabit incommoda quæ futura essent si verba & non rem ipsam sequeremur: arguet aduersarium doli & fraudis, qui nimirum syllabis addictus sit: denique à causis probabit mentem scriptoris, V.G. quod patriæ vtilitatis studerit, quòd pacem, & concordiam in familijs constanter obseruari voluerit &c.

Cum de contrarijs scriptis quæstio est, idem obseruari debet quòd in quæstione descripti discrepantia dictum est.

CAPVT II.

De Argumentatione.

TOta vis argumentationis in hoc posita est, vt de re qualibet aliquid affirmemus aut negemus.

Dùm autem aliquid affirmatur, aut negatur, duo sunt attendenda.

Primum est, id de quo affirmamus aut negamus quippiam.

Alterum, id quod affirmatur aut negatur.

De reformari possunt hæ quæstiones.

Quarum 1. est, an sit, vel fuerit, vel futura sit, vel esse possit. Quæstio autem hæc discutitur vel per affirmationem,

nem, vel per dubitationem, vel per negationem.

2. Quæstio est, quid res sit. Dissoluitur autem hæc quæstio per definitionem vel per descriptionem

3. Quæstio est, à quo res illa sit, ex quo constet Explicatur autem per demonstrationem causarum materialis, & efficientis.

4. Est, quanta res sit. Discutitur autem per rationem magnitudinis, aut paruitatis, vel multitudinis, vel per comparationem cum re alia.

5. Est, qualis sit res. Hæc autem continet differentias: 1. vt ita dicam, essentiales: 2. proprietates quæ ex natura promanant: 3. reliqua accidentia quæ rei competunt, eamque distinguunt ab alijs.

6. Quęstio est, quando res fuerit aut futura sit. Exponitur autem per temporis adiuncta & circunstantias.

7. Est, vbi res sit, fuerit, aut futura sit. Explicatur autem per descriptionem loci, eius naturam, & ingenium.

8. Est, cur res facta sit. Declaratur autem per rationes & motiua quorum impulsu res facta sit, fuerit, aut futura sit.

9. Est, quibus auxilijs res facta sit, aut facienda, Explicatur autem per descriptionem instrumentorum, vel eorum qui opem afferre possint, aut potuerint.

10. Est,

10. Est, quomodo res fit. Declaratur autem per definitionem modi quo res fieri potest.

Argumentatio est argumenti explicatio. Quid argumentatio.

Argumentatio distinguitur ab argumento, in eo quòd argumentatio sit ratio quà explicatur argumentum: argmentum verò sit materia argumentationis.

Duo sunt genera argumentationis; nempe, Syllogismus, & inductio. Argumentationis diuisio Syllogismus.

Syllogismus, Latinè *Ratiocinatio*, est probatio rei alicuius ex altera re cum qua connexionem habet. Seus vt clariùs loquar, est argumentationis species constans ex duabus propositionibus, maiori scilicet, & minori præterea conclusione.

Maior propositio si appellatur, quia ex ea vis omnis ratiocinationis emanat.

Minor propositio aliter dicitur assumptio, quia in ea id quod allatum est in maiori ad rem probandam, assumitur.

Conclusio est ipsa quæstio proposita: Exemplum sit; velim probare, *Petrum esse rationalem*, si ratiocinabor: *Omnis homo est rationalis*: En maior: *atqui Petrus est homo*; En minor: *Ergo Petrus; est rationalis* En conclusio. In hoc argumento obserua quòd pro ratione huius propositionis qua dico *Petrum esse rationalem*, afferam quòd *sit homo*: idque assumam in minori, asserens quòd

Petrus

Petrus sit homo: vnde concludo meam propositionem, scilicet, *Ergo Petrus est rationalis*.

Ratiocinationis partes. Ratiocinatio secundùm Rhetores continet quinque partes.

1. Propositionem rei, quam vocant maiorem.

2. Propositionis rationem.

3. Assumptionem quam vocant minorem.

4. Rationem assumptionis.

5. Conclusionem.

Exemplum sit. *Diuina amicitia modis omnibus est retinenda*. Hæc est maior propositio: *quia ex Deo pendent omnia &c.* hæc est ratio propositionis: *Atqui misericordia diuinam amicitam retinet* hæc est assumptio, seu minor propositio: *nam similitudo amicitiam contrahit*: hæc est ratio aussmptionis: *Ergo misericordia colenda est*: hæc est conclusio. Quælibet autem ex his propositionibus illustrari debet figuris: amplificationibus, & locis Rhetoricis.

Species ratiocinationis. Ad ratiocinationem referuntur enthymema, epicherema, sorites, submissio, enthymema compositum, expeditio, subiectio seu enumeratio, violatio, oppositio, dilemma, & expolitio seu exornatio.

Expolitio. Expolitio seu exornatio continet ferè totum argumentationis cultum & ornatum:

num: quodque in ratione, aut confirmatione propter breuitatem, latere posset, solerter & acutè pluribus verbis exponit: Exemplum sit, breuiter dictum fuerit: *Occiduntur pro Christo paruuli, pro iustitia moritur innocentia*. Hanc propositionem D. Euseb. Emissenus sic exornat: *Quàm beata ætas! quæ necdum Christum potest eloqui, & iam pro Christo meretur interfici, nondum opportuna vulneri, & iam idonea passioni! Quàm feliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obuiam venit! incurrunt quidem, inter ipsa principia acceptæ lucis, periculum & finem salutis; sed de ipso protinus fine capiunt principia æternitatis: Immaturi quidem videntur ad mortem sed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum degustauerant præsentem, cum statim transeunt ad futuram, nondum ingressi infantium cunas, iam perueniunt ad coronas: rapiuntur quidem à complexibus matrum sed redduntur gremijs angelorum*.

Enthymema est imperfectus Syllogismus: qui altera ex duabus prioribus propositionibus illi deest, siue maior, siue minor: Exemplum sit. *Sol lucet, ergo dies est*. Per ratiocinationem seu per Syllogismum hoc enthymema sic explicari posset: *Quando sol lucet, dies est: sed nunc sol lucet: ergo nunc dies est*. Enthymema.

In

In enthymemate vna tantùm propositio debet probari.

Epicherema. Epicherema est expolita ratiocinatio: fitque cùm Syllogismi propositionibus singulis singulæ rationes appponuntur; aut alteri tantùm propositioni, aut non modo singulis propositionibus, sed etiam conclusioni, Exemplum habes apud Ciceronem libr. 1. de inuentione, Sect. 58. vt probet mundum consilio administrari, sic argumentatur. *Melius curantur quæ consilio geruntur.* Ratio huius propositionis sit, quia domus ea quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, & apparatio, , quàm ea quæ temerè & nullo consilio administratur: *Atqui nihil omnium rerum, meliùs quàm omnis mundus administratur*: En minor. Ratio huius proposit. sit: quia & signorum ortus & obitus definitum quendam ordinem seruant, & annuæ commutationes non modò quadam ex necessitate semper eodem modò fiunt &c *Ergo consilio mũdus administratur.* En conclusio.

Epicherema sumitur aliquando pro breui ratiocinatione, quæ vnicam propositionem continet, in qua tanmen integer Syllogismus comprehenditur. Exemplum sit. *Quis dubitet mundum, quo nihil melius regitur, consilio & prudentia administrari.*

Vox autem *Epicherematis* significat racio

raciotinationem qua aduersarium vehementer vrgemus.

Sorites, est argumentationis species, qua multis congestis propositionibus, veluti gradatim & coaceruatim collectis, aliquid infertur. Exemplum sit. *Si prætor pecuniam: dedit, vt est scriptum, à Quæstore numerauit, Quæstor à publica mensa, publica mensa aut ex vectigali aut ex tributo: Ergo si Prætor dedit pecuniam ex vectigali dedit* Alterum sit exemplum. *Quidquid bonum est, id expetendum est; quod autem expetendum, est, id certè approbandum, quod verò approbandum, id gratum acceptumque habendum est: Ergo etiam dignitas ei tribuenda est: bonum igitur omne est laudabile: ex quo efficitur, vt quod est honestum, id solum sit bonum.* Sorites.

Hæ autem propositiones gradatim procedentes debent se inuicem subsequi, & posse aliæ ex alijs inferri. v. g. Non valeret hæc argumentatio: *Bibliopola multos libros habet, & eos sæpe euoluit: qui autem libros sæpe euoluit, multùm studet: qui multum studet doctus euadit: ergo bibliopola doctus euadit*: Nam qui libros euoluit tantùm, non propterea studet.

Sorites non parum valet ad exaggerandum aliquid, & ad colligenda ea omnia

nia quæ ad probationem allata sunt.

Submissio. Submissio est species argumentationis, in qua nos ipsi rationem quærimus, cur hoc vel illud factum fuerit. Exemplum sit. *Bene maiores nostri hoc comparauerant, vt neminem Regem quem armis cepissent, vita priuarent; quid ita? &c.* Vide argumentationis speciem quæ dicitur subiectio.

Enthymema compositum. Enthymema compositum, est species argumentationis, qua plures propositiones simul componuntur, ex quibus vna duntaxat conclusio colligitur: Vel, ex vna propositione plures conclusiones inferuntur.

Exemplum sit Hic. *adolescens dormit ad multam diem; plurimum studet? relliqua ferè die in ludis versatur, plurimum studet? ad mediam ferè noctem per vicos & plateas excurrit, plurimum studet?*

Alterum sit exempl. *Moriendum est, igitur stultè facitis qui caducis & perituris voluptatibus indulgetis: moriendum est, insanum igitur existimate quisquis breuissimi temporis gloriam & existimationem sequitur.*

Collectio. Collectio est species argumentationis quæ requirit quinque partes, 1 propositionem, 2. rationē propositionis, 3 rationis confirmationem, 4. exornationem seu amplificationem confirmationis, 5. deni-

nique complexionem seu conclusionem.

Propositio continet quod probare volumus.

Ratio, est causa quæ demonstrat id verum esse quod proponimus.

Rationis confirmatio complectitur argumenta quæ corroborant breuiter expositam rationem.

Exornatio adhibetur ad locupletandam & amplificandam rationem illatam, varia figurisque illustrata argumentatione adhibita.

Conclusio denique partes argumentationis colligit, ipsique ratio posset addi commodè. Tot ferè sunt Collectionum exempla, quot perfecta apud Ciceronem exordia. Vide etiam Authorem ad Herennium, lib. 2. sect. 7. 8. & 9.

Subiectio est species argumentationis qua quærimus id quod pro aduersarios vel contra nos dici potest: deinde ad singula respondemus pro vt expedit. Subiectio.

Exemplum sit act. 3. in Verrem num. 192 ab his verbis. *Nunc verò quid faciat Hortensius? auaritiane crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendit: an ab hac eius infamia, nequitia, vestros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat?*

cat? at homo interior, ignauior; magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula proferri non potest. At mores commodi: Quis contumacior? quis inhumanior, &c. Item pro Quinctio num. 41. *Apellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit: In Gallia agi non potuit? at & in prouincia ius dicebatur, & Roma iudicia fiebant. Restat vt &c.* Item libr. 4. ad Hirennium. *Quæro igitur vnde iste tam pecuniosus factus sit, amplum patrimonium relictum est? at patris bona venierunt: hæreditas bona obuenit? non potest dici, sed etiam à necessarijs omnibus exhæredatus est: premium aliquod ex lite aut iudicio cepit? non modò id non fecit, sed iam insuper ipse grandi sponsione victus est: Ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes videtis, aut isti domi nascitur aurum; aut vnde licitum non est, pecunia accepit,*

Expepicio. Expeditio seu enumeratio, est argumentatio in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, vnum reliquum necessariò confirmatur, vel refuratur. Exẽplum sit: *Tu qui habes istum equum, aut emisti, aut hereditate possedisti, aut munere accepisti, aut domi etiam tibi natus est, aut ex hostibus raptus aut certè rapuisti: sed neque emisti, neque*

que hæreditate possedisti, neque munere accepisti, neque domi tibi natus, neque ex hostibus raptus: ergo rapuisti. Quòd si ad singula quæ numerantur in hac argumentatione, adhibeatur ratio, referri debet ad epicherema prioris generis, vt supra dictum est.

Violatio, seu ex Cicerone, Conuersio, est species argumentationis, quæ fit cùm vtimur rationibus aduersariorum contra ipsos; Fitque duobus modis. Violationis definitio.

1. Cùm rationes aduersarij detorquemus ad illam sententiam quam impugnat. Exemplum sit Diuin. in Verr. numer. 61. *At vide quid differat inter meam opinionem, & tuam; tu cùm omnibus rebus inferior sis, hac vna in re mihi anteferri putas oportere, quòd Quæstor illius fueris. Ego si superior omnibus rebus esses, hanc vnam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere &c.*

Oppositio est species argumentationis quæ fit cum per oppositum nostræ propositioni, propositionem ipsam probamus. Oppositionis definitio.

Exemplum sit. *Si eo tempore quo hunc dicitis hominem penetrasse ad bona Dea, fuit Interamnæ; relinquetur, non penetrasse: nam si eo tempore quo eò penetrasse dicitis, Romæ fuisset, ad bona Dea penetrasse suspicari poteratis:*

nunc autem quoniam Roma non fuit, non est cur eum tanto se scelere obstrinxisse suspicemini.

Dilemmatis seu complexionis definitio. Dilemma, seu, ex alijs, Complexio, est species argumentationis quæ fit quando duæ oppositiones ita inter se cum diuisione connectuntur, vt ambæ aduersarium feriant. Vel breuiùs, est geminum enthymema, in quo vtrumuis concesseris, arguitur. Exemplum sit: *Vel triumphi vel prædæ cupiditas te ad prouinciam petendam rapiebat: non triumphi, vt tute profiteris, ergo prædæ.* Alterum sit exemplum: *Improbus est? cur vteris? est probus? cur recusas?*

Duobus modis soluitur dilemma.

1. Cum totum dilemma inuertitur, & contrarium opponitur.

2. Cum altera tantùm pars seu altera propositio dilemmatis infirmatur.

De Inductione.

Inductionis definitio. INductio est species argumentationis, qua per enumerationem multorum singularium, propositio vniuersalis infertur. Vide orationem pro Milone sect. 8. ab his verbis. *Ahala, Nasica &c.* Item sect. 9. *Licet furem necare, licet insidiatorum &c.*

Hoc argumentandi genus plurimum habet roboris ad persuadendum: fitque,

1. Per

1. Per figuram Isocolon.
2. Per interrogationes acutas, adhibitis antithetis.
3. Per congestas similitudines vel dissimilitudines secundùm naturam argumenti.

Ad inductionem pertinet exemplum.

De Exemplo.

Exemplum est argumentationis species qua ex vno singulari, vel certe paucis singularibus, singulare aliquid infertur. In hoc differt ab inductione. Exempli definitio.

Authoritas, Parabola, & Apologus referri possunt ad Exemplum quia si singulare quod assumitur in exemplo, verum est & re ipsa gestum est authoritas; si fictum, vel quasi gestum, licèt geri non possit est apologus: si gestum non fueri, sed geri tantùm possit vel potuerit, est parabola. Authoritas Parabola Apologus.

Exemplum authoritatis sit: *Christus passus est vt intraret in gloriam suam: quid nos vt ad eandem perueniamus?*

Exemplum apologi sint omnes fabulæ in quibus belluæ aut aliæ res quæ vocis & rationis vsu carent, inducuntur tanquam loquentes.

Exemplum denique parabolæ sit; *Non rectè sibi vectorem consulerent, qui rectorem ebriosum naui præponerent: ergo*

non sibi rectè consulent ciues qui suæ Republicæ præficient hominem vino & crapulæ deditum.

Nè autem Oratio fastidium pariat, his prædictis argumentationibus distingui poterit. Id autem Ciceroniana lectio docebit.

Hic ordo seruari potest in argumentationibus mutandis: primò fit ratiocinatio, deinde enthymema, postea inductio. Hæ verò singulæ argumentationes amplificandæ sunt, sumptis argumentis ex Locis Rhetoricis, quid diuersis figuris exornari debent.

Vsus Argumentationis.

CVm locorum Rhætorice tractatio varia esse debeat, ita varietatem esse in argumentatione necesse est, ne animus similitudinis satietate defatigetur. Cicero enim ait lib. de inuent, sect. 76. *Variare autem orationem magnopere oportet: nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater.* Adde quòd oratoris munus sit, delectare; quò fit, si variæ sunt argumentationes, & ita variæ, 1. vt ars abscondatur, 2. vt satietas vitetur, & ex consequenti vtriusque, auditor, delectetur.

Maxima pars artis oratoriæ posita est in variandis argumentationibus, ita vt

modò nudis, & non expolitis vtamur, sed breuiter tantùm quæ aperta sunt exponamus: modò expolita vtamur argumentatione, nunc nihil concludamus, sed auditoribus concludendum relinquamus: nunc addamus conclusionem: aliquando singularum propositionum afferamus rationes, aliquando non afferamus.

Varietas autem quæ requiritur in argumentatione, *posita est in tribus: Primum est, vt ordo partium varius sit: Secundum est, vt aliqua minuantur, aliqua augeantur: Tertium est, vt varium sit artificium.*

Varietas ordinis consistit in duobus; quorum primum est vt ordo sit naturalis & legitimus: Alterum, vt ordo quæsitus sit, & arte quadam permutatus.

Ordo naturalis, cum maior propositio præcedit, deinde eius probatio; deinque complexio, & illius (si videtur) probatio.

Ordo non naturalis, sed arte quæsitus ille est qui fit non seruato naturali ordine, ita vt modò à minori non incipiamus, modò à conclusione: sæpissimè à probatione minoris vel conclusionis. Ex quo sequatur, maiorem propositionem medium frequenter obtinere locum; ne quod nobis proposuimus probandum, statim innotescat.

Obſerua 1. quòd cum minuere aliquid volumus vel alteram ex propoſitionibus omittamus, vel concluſionem negligamus, vel ſi tres propoſitiones adhibeamus, ordinem non curare videamur. Vnde poſitis duabus propoſitionibus, alterutrum tantum cum concluſione probabimus: Vel nullam concluſionem adiungemus: vel etiam nullam propoſitionem præmittemus, ſed ſimplicem exponemus rationem. Nihilominùs tam prudenter res componenda eſt, vt ratiocinatio includatur, & concluſio lateat. Illis enim quæ clara ſunt fruſtra concluſio additur: quod tamen fit aliquando ad vrgendum magis aduerſarium: Vt Cicero 1. Catilin. ſæpiùs concludit, Catilinæ eſſe egrediendum.

Obſerua 2. propoſitiones maiores prætermitti ſæpiùs quàm minores quia minores ad rem magis pertinent propriùs eam & attingunt.

Obſerua 3. denique quòd ſingulæ propoſitiones argumentationis toties variari poſſint, quot ſunt figuræ ſententiarum, V.G. interrogando, exclamando, prætereundo communicando &c.

Loci Rhetorici, tum inſiti, tum remoti ad praxim educti.

Argumentum à definitione.

1. A Definitione ſic argumentum ducitur. Animal rationis compos

pos suos debet ratione moderari appetitus: homo rationis compos est ergo appetitus suos ratione moderari debet.

2. A partium enumeratione: si probare velis, cœlum non esse aliquod ex primis rerum fundamentis, quæ Philosophi vocant elementa, ita argumentum concinnabis: Prima rerum initia sunt quatuor, terra, aqua, aer, ignis: Atqui cœlum non est terra quam terimus, non aqua, qua nauigamus; non aer, quem haurimus; non ignis, qui vicina corpora belluatur: ergo ex primis rerum initijs cœlum nullum est. A partiũ enumeratione.

3. A notatione seu, etymologia, ita ducitur argumentum consul ille est, qui reipubl consulit: ergo, qui illam euertit, Consul non est. A notatione.

4. A coniugatis, sic argumentaberis Sapiens ille est, qui sapienter loquitur, & sapienter tacet: sed qui tacenda loquitur, & dicenda tacet neque loquitur, neque tacet sapienter: ergo sapiens non est. A coniugatis.

5. A genere. Sic argumentum duces: Omnis virtus est expetenda atqui prudentia est virtus: ergo prudentia expetenda est. A genere.

6. A forma. Sic Argumentum conficies: Auaritia est vitium: ergo omnis auarus vitiosus. A forma.

7. A similitudine, hoc modo: Sicut auro amicitia, ita igni labor comparatur: A similitudine.

tur: ſed auri probitas nuſquam melius ſpectatur, quàm in igne ergo amicitia nunquam apertiùs dignoſcitur, quàm in mole ingruentium laborum.

A differentia. 8. A differentia ita ducitur: Barbarorum hominum eſt in diem viuere: ergo ſapientum conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent.

9. A contrarijs ita: Bello nihil reipubl. perniciosius: ergo pace nihil reipubl. ſalutarius. Item, nihil eſt, quod magis expetatur, quam vita: nihil eſt, quod magis timeatur, quàm mors. Item, fugere militem crimem eſt grauiter puniendum: ergo fugere Imperatorem flagitium eſt non niſi morte ipſa expiandum: Tandem omnis homo eſt laudis appetens: ergo ſi quis ad laudis ſtudium non accendator, datur, homo non eſt.

A contrarijs.

Ad adiũctis. 10. Ab adiunctis: diuitem comitantur inſomnia, faſtidium, ſolicitudo, taciturnitas: ergo eum cura mentem pungit, & exulcerat.

11. Ab antecedentibus, ſic ducitur argumentum. Ortus eſt Sol ergo dies eſt. Hic autem locus eò differt à proximo: quia antecedentia neceſſariò cum conſequentibus cohærent: non verò adiuncta.

Ab antecedentibus.

12. A conſequentibus, hoc modo: Dies eſt, ergo ortus eſt Sol. Item, ingenti deformatus es cicatrice: ergo plagam accepiſti luculentam.

A conſequentibus.

13. A re-

13. A repugnantibus, Ita. Amicus amicum amat: ergo conuitijs nunquam insectatur.

14. A causis hac ratione: Se ipsum efficere nihil potest: ergo vnus est rerum omnium effector, & molitor Deus. Item homo non viuit, vt edat; sed edit, vt viuat: ergo non debet se ad pastum, & voluptatem abijcere, vt bellua ventri seruiens, & abdomini. Item humanus animus immortales est: ergo homo immortalitatem spectare debet. Tandem corpus hominis pronum est ad vitia: ergo ab eius societate & contagione animus ad virtutes erectus seuocandus est. A repugnantibus.

15. Ab effectis, ita struitur: Virtus facit laudem, voluptas infamiam: ergo sequenda virtus est, voluptas fugienda. Ab effectis.

16. A comparatione maiorum ita fit: Boni milites pro laude mortis subeunt acerbitatem: ergo exilij molestias faciliùs deuorabunt. A comparatione minorum sic: Humanas felicitas magni ab omnibus æstimatur: ergo pluris æstimari debet ab omnibus æterna. A comparatione parium sic: In iuuenum viribus, seniorumque consilijs æquè reipubl. salus continetur: ergo vtrique sunt paribus beneficijs cumulandi. A comparatione maiorum, minorum, & parium.

Hæc de argumentis insitis, iam de argumentis remotis: quorum primùm Argumenta remota

Præiudicium. est *præiudicium*, à quo ita duci potest argumentum: Parricidæ, quoties ab incorruptis Iudicibus præiudicati sunt, toties capite sunt damnati: ergo qui modò iudicantur, abire non debent impuniti.

Fama. Secundum est *fama*, ex quo loco sic duci potest argumentum: Decantatissimum est apud omnes, hunc reum, esse immunem à culpa: ergo immunis esse debet à pœna.

Tabulæ. Tertium est *tabula*, vnde sic duci potest argumentum: Publicis tabulis constat, à reo plus acceptum, quam datum: ergo cogi debet ad restituendam rem in integrum.

Quartum est, *tormenta*, vnde sic argumentaberis: Ab hoc homine in quæstionem vocato nihil potuit extorqueri: ergo totius causæ inscius credendus est.

Quintum est *iusiurandum*, vnde sic duci potest argum. Hic iuratam fidem interposuit, nullam in se culpam hærere: ergo religiosus cùm sit, culpam contraxit nullam.

Sextum est, *testes*, vnde sic duces argumentum. Multi testes, atque ij locupletes huic reo patrocinantur: ergo eius partes, superiores proculdubio videntur.

CAPVT III.

De Amplificatione Orationis, per Locos Rhetoricos.

AMplificatio, ex Cicerone, est grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Amplificationis definitio.

Fides autem per Amplificationem ita conciliatur, vt cum illa fusiùs & subtiliùs rem exponat, pariter etiam faciat vt maior fides comparetur.

Amplificatio non adhibetur nisi in rebus magnis, & in grauioribus causis. Vt pro Sextio num. 88. *Huic grauitati hominis videbat ille gladiator se, si moribus ageret, parem esse non posse: ad ferrum, ad faces, ad quotidianam cædem, incendia, rapinas, se cum exercitu suo contulit, domum oppugnare, itineribus occurrere, vi lacessere & terrere cœpit &c.* & pro Milone num. 89. *Dura mihi, medius fidius, iam fortuna Populi Roman. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Rempublicam insultare videret & pateretur: polluerat stupro sanctissimas Religiones, Senatus grauissima decreta perfregerat &c.* vsque ad hæc verba: *Nos nostris seruis addicent &c.*

Cauendum est in Amplificatione, ne sinuosis orationis flexibus, & prolixiori sermone molestiam facessat oratio: sed curandum est vt si quæ de nouo addantur, hæc sensum augeant.

Obserua 1. quòd non omne genus argumenti capax sit amplificationis: res enim minutæ & exiles vix amplificatione possunt splendescere.

Obserua 2. quòd amplificatio eadem ferè sit cum Loco Cõmuni, de quo infrà.

Obserua 3. quòd præcipuè nouem sint loci à quibus amplificatio duci possit.

1. Locus est à definitione & descriptione.

2. Locus est ab authoritate quorumlibet testimoniorum.

3. Locus est à personis, attendendo ad dignitatem, ætatem, intentionem, qualitatem facti, & alia adiuncta.

4. Locus est à consequentibus, explicando quæ commoda, quæ incommoda futura sint.

5. A comparatione rerum similium, maiorum, minorum, & parium.

6. Locus est ab enumeratione partium. Exemplum sit apud Gregorium Theologum homil. de septem Machabeis, vbi matris eorum constantiam amplificat, ab his verbis. *Matris verò robur animiq; constantiam nihil flectere, & emollire ac debilitare potuit, Non instrumenta*

luxan-

luxandis artibus ac accommodata, non rota proposita, non exquisitissima quæque tormentorum genera, non ferrearum vngularum acies, non furentes bestiæ, non enses qui acuebantur, non feruentes ollæ, non ignis qui excitabatur, non miscellanea, turba non generis aspectus, non membra quæ discerpebantur, non carnes quæ lacerabantur, non defluentes sanguinis riui, nõ flos ætatis qui absumebatur, non præsentia mala non impendentes acerbitates &c.

7. Locus est à Causis.

8. Ab effectibus.

Amplificatio autem fit aut verbis, aut rebus. De verbis dicetur in periodo, de rebus hic pauca sunt obseruanda.

1. Quòd amplificatio fiat cum plures sententiæ eiusdem significationis simul componuntur, v.g. *Quos tum meandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula flexionesque quæsisti?*

2. Quòd ad instandum augendum facimus, variæ actiones, sublatis coniunctionibus, coaceruentur. Exemplum sit: *Erupit ex ædibus suis probris me & conuitijs onerauit, domesticos suos in me concitauit, primus in me impetum fecit, vulneribus me multis oppressit &c.*

3. Quòd amplificatio fiat: Cum multæ definitiones eiusdem rei simul componuntur.

4. Cum

4. Cum totum in partes distribuitur, & singulis partibus, quod ipsarum proprium est, tribuitur.

5. Cum afferuntur rei causæ.

6. Cum effectus eiusdem rei simul congeruntur.

7. Cum enumerantur ea, quæ rem comitantur.

8. Cum afferuntur rei contraria.

9. Cum quæ rem præcesserunt exponuntur.

Denique cum rei adiuncta singula, & circunstantiæ omnes exponuntur, de quibus iam supra.

Ad amplificationem referuntur.

1. Incrementum, quod fit quando oratio crescit, siue rebus siue verbis.

2. Ratiocinatio, quæ fit cum aliud augetur, vt aliud crescat, v. g. Vt victoris gloria crescat, hostis fortitudo extolli potest.

3. Comparatio, quæ fit cum diuersa inter se, siue sint maiora siue sint minora, componuntur.

Hæc autem comparatio requirit vt circunstantiæ omnes vtriusque rei excutiantur, & aliæ cum alijs comparentur.

Hæ maximè figuræ pertinent ad Amplificationem (præter exempla & testimonia tum diuina, tùm humana.)

1. Hypotyposis, seu Descriptio, quæ vel est rerum, vel personarum.

2. Pro-

2. Prosopopæia, quæ fit, cum oratio alicui tribuitur pro suo statu.
3. Exclamatio, quæ post insignem aliquam amplificationem adhibetur.
4. Apostrophe.
5. Interrogatio.
6. Obsecratio.
7. Optatio..
8. Denique imprecatio, & aliæ similes figuræ, Vide has figuras suis locis.

SECVNDA PARS INVENTIONIS.

De Motibus, seu animi affectibus

CAPVT PRIMVS.

De Motibus in genere.

CVm, *Eloquentia*, animi affectus motusque regere debeat, vnde *Regina flaxamina* vocatur à Cicer. ideò breuiter hic de animi motibus agendum erit; adde quòd Inuentio non tantùm versetur circa locos Rhetoricos, sed etiam circa motus.

Animi motus seu affectus, est id cuius vi, auditorum animi voluntatesque mitantur; ad voluptatem, aut ad molestiam

stiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem incitantur.

Vel, definitur motio: per quam aliquid optamus, aut auersamur, & vehementiùs, quàm pro statu quietæ mentis conueniat, impellimur.

Vel denique ex philosophis, commotio appetitus sensitiui ex apprehensione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis. Nam v.g. Cor in lætitia dilatatur, & in mœrore contrahitur. Hinc, vulgò *passiones* appellantur.

Clariùs dico & breuiùs. Animi affectus seu motus, est quidam impetus quo impellimur vehementiùs ad appetendum vel auersandum aliquid.

Hinc intelligitur bonum, vel malum, esse obiectum affectus animi.

Nonnulli putant vnum esse animi affectum, eumque amorem, ex quo affectus omnes animi nostri & permotiones proficiscantur.

Alii dicunt esse quatuor animi motus duos circa bonum; nempe spem, & gaudium: & duos circa malum scilicet tristitiam, metum.

Philosophi plerumque vndecim assignant: quinque, tribuunt appetiui irascibili, sex apetiui concupiscibili.

Appetitus irascibilis versatur circa bonum, malumque arduum & difficile.

Appetitus concupiscibilis circa bonum,

num, vel malum, simpliciter, & sibi proprium vel tanquam proprium.

Appetitus concupiscibilis complectitur sex animi motus; tres circa bonum, & tres circa malum. Hi autem sunt.

1. *Amor*, qui versatur circa bonum sic duntaxat spectatum.

2. *Desiderium*, quod versatur circa bonum, sed vt absens.

3. *Gaudium*, quod versatur circa bonum, sed vt præsens.

4. *Odium*, quod versatur circa malum sic duntaxat consideratum.

5. *Fuga*, quæ versatur circa malum, sed vt absens.

6. Denique *tristitia*, vel *dolor*, qui versatur circa malum, sed vt præsens.

Appetitus irascibilis continet quinque affectiones; quarum duæ sunt circa bonum, & tres circa malum.

1. Circa bonum quod speratur, est *spes*.

2. Circa bonum quod desperatur, est *desperatio*.

3. Circa malum arduum præsens, est *ira*.

4. Circa malum futurum quod vinci posse putatur, est *audacia*.

5. Circa malum quod vehementiùs refugitur, est *timor*.

Zelotypia & gratia referuntur ad *amorem*.

Æmulatio ad desiderium.

Mi-

Misericordia & inuidia ad *dolorem.*
Admiratio ad lætitiam.
Verecundia, & reuerentia ad *timorem.*
Indignatio denique ad *iram.*

Inter vndecim animi motus, *amor, desiderium, & gaudium*, sunt motus lenes, illisque vtitur Orator cum delectare vult. Reliqui acto sunt graues & ad flectendum accommodati.

Inuentio motuũ æquè pendet ex Locis Rhetoricis, atque argumenta: excitantur enim amplificatione locorum Rhetoricæ, v.g.

1. A loco definitionis, quod fit tribus modis: 1. multis definitionibns conglobatis: vt si philosophia multis prærogatiuis per difinitionem illustraretur hoc modo: *O vita philosophia dux! ò sapientissima morum magistra! ò vera felicitatis parens &c.* Vide orat. pro Sextio, num. 60. 2. multis congestis metaphoris, quibus res eadem explicetur: vt si quæreretur, quid est homo? posset quis respondere per multas metaphoras, v.g. quod sit *fortunæ ludibrium, vanitatis imago, inconstantiæ theatrum &c.* 3. pluribus institutis descriptionibus quæ rem oculis subijciant. Ea autem sunt vel *rerum*, vel *personarum*, & fieri solent ex proprijs rerum singularum circunstantijs. Vide Orat. pro Milone nu.

65. vbi

65. vbi Clodius è villa egrediens describitur.

2. Excitantur motus, ab enumeratione partium, Imitare Ciceronem Orat. pro Milone sect. 3. ab his verbis. *Quamobrem illa arma Centuriones &c.* Orat. in Pisonem num. 56. Hic obseruabis, partes singulas rei quas exaggerare, & amplificare volueris, sedulò priùs esse conspiciendas.

3. Affectus mouentur à notatione, sed magis ad delectandum, quàm ad flectendum.

4. A coniugatis, ferè ad eundem finem.

5. A toto genere. Oratores enim quemadmodum maximam desiderant compiam, ità singulares quęstiones siue hypotheses ad theses, seu genus ad speciem reuocant. Vide Orat. pro Milone, num 81.

6. A forma & parte, cuius eadem via est, ac loci à genere ad motum concitandum.

7. A similitudine quia cùm parum valeat ad probandum, plurimum facit ad mouendum. 1. quia rem apertiùs declarat, 2. quia delectat, 3. quia flectit. orat. 1. in Catilin. num. 31. 7. Verrina numer. 144. & pro Murena nu. 4. Philipp. 2. nu. 104. & 105. &c. exempla suppeditant.

8. A contrarijs, quia cum mirabiliter contraria rem amplificent, sic etiam eorum

rum vſus familiariſſimus eſt. Vide orat. pro Milone ſect. 10. ad 11. ab his verb. *Eſt enim hæc, iudices, non ſcripta ſed nata lex &c.* 2. in Catilin. nu. 24. ad 26. ab his verbis; *Inſtruite nunc Quirites &c.* Item eadem Orat. ſect. 25. ab his verb. *Ex hac enim parte pudor pugnat, hic petulantia, hic pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpido; hinc continentia, illinc libido &c.*

9. Ad adiunctis. Ex quo loco magna vis ſuppetit oratori ad motus concitandos. Vide Orat. pro Milone ſect. 88. ab his verbis: *Quamobrem ſi cruentum gladium tenens &c.*.

10. Ab antecedentibus. Exemplum ſit pro Milone num. 65. ab his verbis: *Scutorum, gladiorum &c.*

11. A conſequentibus ibid. num. 105. ab his verbis: *Hiccine vir patria natus vſquam niſi in patria moriretur? ò terram illam beatam &c.*

12. A cauſis. Vnde ſunt frequentiſſimi motus. Exemplum ſit pro Milone nu. 104. ab his verbis. *Quodnam concepit tantum ſcelus &c.*

13. Ab effectis: Ex quo mira vbertas motuum proficiſcitur. Vide Milonianam ſect. 88. ab his verbis, *Dura mihi medius fidius &c.* Item ſect. 95. ab his verbis.

O fru-

O frustra suscepti mei labores! ò spes fallaces &c.
14. A comparatione: Ex hoc loco ducta amplificatio motuum præiucunda est. Exemplum sit pro Milone sect. 93. ab his verbis: *Etenim si in gladiatorijs pugnis & in infima quis hominum conditione &c.*
15. Denique ab assumptis locis. Eò maior autem anthoritas erit, & vis ad motum, quo testimonia illustriora erunt, & minus ijs resisti poterit.

Animi motus, seu *affectus*, differunt à *moribus*, in eo quod mores placidiores sint: & suauis in animus influant: affectus verò sint vehementiores.

Mores de quibus hic loquimur pertinent ad Ethopœiam, quæ est morum expressio, vt infra dicetur.

Quatuor requiruntur ad excitandos motus in animus auditorum.
1. Probitatis existimatio in dicente.
2. Ætatis maturitas in eodem.
3. Eadem in oratore expressa animi perturbatio, cum ea, quæ excitanda est in auditoribus, frustra autem quis vultum & vocem mutet, nisi & animum accommodet ad motum, quem excitare vult in auditoribus. Vnde maxime morum similitudo requiritur in oratore, vt aliorum mores ad suos conformet.
4. Cognitio naturæ & diginitatis eorum qui

qui permouendi ſunt : accommodare enim ſe debet Orator ad indolem Auditorum : item & ad ipſorum inclinationem, mores atque etiam rerum temporis, & cuiuſcunque aliæ occaſionis præſentem ſtatum.

Additur oris forma & habitus: exterior enim facies, & corporis compoſitio interiorem animi noſtri motum exprimere debet, vt idem motus in alijs facilius oriatur.

De pijs affectibus hic non loquor, pendent enim ij ex ſpiritus ſancti afflatu.

De fontibus affectuum.

HI poſſunt eſſe fontes affectuum:
1. Vultus & corporis compoſitio. V.G. Os pallidum, vultus demiſſus, facies confectam acie, miſericordiam mouent. Armata manus, micantes oculi, ſupercilium minax iram concitant.
2. Virtus in aduerſo caſu, miſerationem mouet. Contra verò inuidia, & indignatio excitatur ſcelerum exhibitione.
3. Fortunæ, qua vtimur, ratio, valet plurimum ad excitandos motus.
4. Ætas, V.G. ſi tenera, ſi ſenilis, ſi confirmata &c.
5. Patriæ conſideratio.
6. Imbecillitas ſexus, vel ætatis.
7. Communio ſanguinis, affinitas parentum,

rentum coniugum, liberorum, amicorum &c.
8. Circunstantiæ loci in quo res gesta est.
9. Temporis rei gestæ diuturnitas, vel breuitas.
10. Causæ propter quas aliquid factum fuerit.
11 Modus quo res acta fuerit.
His addi possunt instrumenta, supplicia, & alia eiusmodi.
12. Effictio personæ quasi præsentis eo statu, quo volumus eam videri.
13. Similitudines rerum naturalium, quæ rem exprimant.
Ita autem sunt temperandi motus, vt auditorem non obruant; sed ita sunt permiscendi, vt scopus attingatur, v.g. post commesationis motum, excitandus erit motus indignationis, postea inuidiæ, deinde iræ, metus &c.

De singulis affectibus animi.

Ac 1. de Amore.

AMor, vinculum dici potest.
Animos, enim desiderijs suis quasi laqueis implicat.
Amor triplex est.
1. Naturalis, qui conuenit rebus omnibus etiam sensu carentibus.

2, Ra-

2. Rationalis, quo mens seu voluntas fertur in rem bonam, quatenus bonam, v.G. in scientiam, modestiam &c.

3. Amor amicitiæ, qui mutuus est; nec tam est animi perturbatio quàm virtus.

Amor definitur ab Aristotele, propensio appetitus in bonum, siue sit verum, siue putatum.

A S. Dionysio. Vis pulchro & bono adhærescens.

Amor concupiscentiæ, est propensio in bonum quod nobis malumus, quàm alteri.

Amor amicitiæ, est propensio in bonum quod magis volumus illi quem amamus, quam nobis.

Hic nihil addo de prauo & scelerato amore qui idolum amoris tantùm est.

Amoris in quemlibet causæ, & incentiua sunt.

1. Honestas seu virtus, & vitæ probitas in eo cognita.
2. Æquitas, & iustitia.
3. Modestia, & pulchritudo.
4. Animi nobilitas.
5. Comitas & mansuetudo siue in voce, siue in vultu, siue in verbis.
6. Innocentia, & animi candor.
7. Constantia.
8. Fidelitas.
9. Morum similitudo.
10. Mutuus amor.

11. Be-

11. Beneficentia.
12. Bonorum & malorum communitas.
13. Integritas famæ.
14. Familiaritas.
15. Fiducia in ſecretis.
16. Periculorum, quæ vel obita fuerint, vel obeunda ſint, paritas.
17. Sodalitas & coniunctus.
18. Studiorum & exercitiorum communio.
19. Morum noſtrorum imitatio.
20. Virtutis alterius audita commendatio.
21. Iniuriarum obliuio.
22. Grati animi ſignificatio.
23. Bonorum procuratio.
24. Omnis motus exemptio.
25. Denique id omne quod honeſtum, iucundum, & vtile eſt.

2. De Odio.

ODium eſt auerſio animæ à malo, vel vero, vel putato.

Quadruplex eſt odium.
1. Melancholicum.
2. Ferinum.
3. Humanum.
4. Denique naturale.

Melancholicum oritur ex redundantia atræ bellis, facitque vt nihil placeat.

Ferinum odium, eſt rabioſa quædam nocen-

nocendi cupiditas, sæuitque etiam in ipsa cadauera & res inanimitas.

Humanum, est quod humano more concipitur, & humanis remedijs sanatur.

Odij causæ solent esse quatuor.

1. Antipathia, seu contraria affectio.

2. Abundantia atræ bilis.

3. Immanitas & fœditas ingenij naturalis.

4. Denique sunt causæ humanæ, V. G. calumnia, contemptus, iniuria allata, &c.

Concitant odium.

1. Expositio incommodorum quæ illata sunt.

2. Calumnia quæ iniusta est.

3. Contemptus.

4. Personæ, quæ læsit, indignitas, & crudelitas.

5. Personæ læsæ dignitas.

6. Comparatio improbitatis vnius cum improbitate alterius.

7. Iniuriarum amplificata & figurata descriptio, v.g. per hipotheses, antitheta, exclamationes, apostrophes, & conuersiones.

8. Vitiorum expressio, V.G. libidinis, audaciæ, impudentiæ, iniustitiæ, superbiæ, crudelitatis, auaritiæ, ingrati animi, impietatis, & aliorum eiusmodi.

Odium temperari potest.

1. Pre-

1. Precibus & lachrymis.
2. Explicatione incommodorum, quæ ex odio percipiuntur.
3. Expreſſione fortunæ aduerſæ, in quã inimicus incid t.
4. Explicatione perfectionum inimici.
6. Denique cauſarum odij, in meliorem partem explicatione.

Odium maximè dominatur in cauſis iudicialibus & concitatur.

1. Imprecando aduerſarijs.
2. Ijſdem ſcelera exprobando &c.

3. De Deſiderio.

Deſiderium, eſt apetitus boni delectabilis, veri, vel putati, ſed abſentis.

Tot ſunt deſideria diuerſa, quot varia ſunt bona delectabilia. Immoderatum enim auri deſiderium, eſt auaritia; honoris, eſt ambitio; voluptatis, eſt libido, inutilis ſcientiæ curioſitas &c.

Deſiderium excitatur.

1. Explicata boni honeſtate.
2. Propoſita vtilitate.
3. Spe obtinendi, & difficultate conſequendi vtriuſque boni.

Deſiderium temperari poteſt, ſi oſtendatur expleri non poſſe, pernicioſum eſſe, abiectum eſſe, denique felicitatem eſſe poſitã in cohibitione talis deſiderij.

4. De fuga.

FVga est auersio à malo, vero, vel putato, sed absente.

Concitatur autem fugæ motus motiuis & rationibus desiderio contrariis.

5. De Gaudio, & Lætitia.

GAudium, est motus animi, quo ferimur in bonum præsens, quatenus præsens est. Vnde oritur delectatio; & quædam animi quies, & tranquilitas.

Hi solent esse fontes gaudij.

1. Spes fortunæ melioris.
2. Bonum insperatum.
3. Res nouæ.
4. Res admirabiles.
5. Res delectabiles, V.G. descriptiones celebritatis, pompæ, victoriæ triumphi, ameni loci &c.
6. Virtutis præmia.
7. Criminum supplicia.
8. Præteritorum laborum, & dolorum recordatio.

Reprimitur gaudium.

1. Vanitate rerum, & mœrore ijs adiuncto.
2. Earundem inconstantia.

6. De

6. De Tristitia.

TRistitia, seu dolor, est motus animi, quo dolemus de malo præsenti.

Ex ijsdem ferè fontibus emanat tristitia, atque odium, maximè autem per hypotheses, quæ malum oculis subijciant, mouetur.

Hæc mala vehementer animum feriunt.

1. Consanguineorum vincula mors, & funera.
2. Egestas, & bonorum iactura.
3. Vexatio & calamitas eorum, qui nobis sunt charissimi. Non parum augent tristitiam quærelæ, expostulationes, exclamationes, &c.

Emollitur dolor.

1. Personæ afflictæ probata innocentia.
2. Explicata vitæ nostræ conditione.
3. Fortunæ inconstantia proposita.
4. Exemplis maiorum virorum, qui eadem passi sunt.
5. Expectanda gloria &c.

7. De Spes.

SPES, est motus animi in bonum absens arduum, & difficile, quod tamen labore obtineri potest.

Hæc addi poſſunt motiua concitandæ ſpei.

1. Honeſtas boni, eiuſque magnitudo.
2. Opes, & præſidia certa.
3. Vires corporis, & animi.
4. Potentia, & authoritas.
5. Induſtria, & prudentia; ſeu ſolertia, & prouidentia.
6. Amicorum, fœderatorum, & copiarum, auxiliarium numerus.
7. Experientia ducis fortis & ſapientis, ſub quo res gerenda eſt.
8. Explicatio viarum & rationum facilium, quibus res ſperata cōparari poteſt.
9. Aduerſariorum imbecillitas.
10. Rerum iam proſperè geſtarum narratio.
11. Præmia propoſita.
12. Fauor diuinus, cui maximè innixi, maxima ſperare poſſumus.

Spes infringitur.

1. Rei difficultate.
2. Præſertim malo.
3. Imagine malorum.
4. Rerum & fortunæ mutatione crebra.

Denique metuendis periculis.

8. *De deſperatione.*

HIC motus deſperationis vtilis eſt maxime cum volumus aliquem auocare ab incepto negotio periculi pleno.

Deſpe-

Desperatio est animi motus quo diffidimus vel in bono aliquo consequendo, vel in malo depellendo.

Desperatio nasci potest ex his capitibus.

1 Ex nullis subsidijs ac perfrugiis.

2. Ex difficultate rerum.

3. Ex acceptis calamitatibus.

Denique ex ignauia.

Erigitur spes,& minuitur desperatio.

1. Rei facilitate.

2. Fiducia in Deo &c.

9. De Metu.

Metus est animi motus, quo malum absens refugimus.

Metus excitatur proponendo quòd quisque reformidat. v. g. honoris iacturam, ambitioso pecuniarium amissionem, auaro, &c. Quomodo excitetur.

Metum augere solent.

1. Periculi vicinitas & magnitudo.

2. Rerum Charissimarum iactura.

3 Impendentium malorum signa, vt portenta prodigia.

4. Nocendi potestas in hoste, vel in quolibet alio, vt in iudice &c.

5. Virtus ac probitas læsa & contumelijs affecta.

6. Armata improbitas.

7. Præceps furor viribus potens.

8. Acceptæ iniuriæ experientia.

9. Honoris contentio & æmulatio ;
10. Scelerum nostrorum notitia.
11. Iræ dissimulatæ suspicio.
12. Improbitas & mala conscientia aduersariorum.
13. Malorum perpessio & recordatio.
14. Denique iusta Dei vindicta.

Mitigatur autem.

Quomodo mitigetur.

1. Si nobis persuademus vires nostras satis esse firmas, alienas verò infirmas.
2. Si ope & auxilio Diuino nitimur.
3. Denique si bona nobis conscientia nihil exprobrat.

10. *De Audacia siue Confidentia.*

Audaciæ definitio.

AVdacia est spes quædam proximæ salutis; & rerum horribilium vel non futurarum vel longè remotarum contemptus.

Audacia seu Confidentia respicit malum impendens.

Duplex autem est malum, publicum alterum, & alterum priuatum.

Malum publicum est v.g. *bellum exitiosum, pestis, fames, cœdes, seruitus, & alia eiusmodi.*

Malum publicum,

Malum priuatum est v.g. *dolor priuatus, verum inopia, infamia notæ, mortis periculum &c.*

Audaciam excitant,

1, Erectus animus,

2, Mali

2. Mali periculique assidua meditatio.
3. Difficultas ex parte superata.
4. Subsidia.
5. Expectatus fauor diuinus.
6. Rei indignitas quam patimur.
7. Periculi necessitas.
8. Vitæ probitas.
9. Equitas causæ.
10. Honestas rei.
11. Spes victoriæ.
12. Recordatio nobilitatis suæ.
13. Spes mercedis.
14. Gloriæ cupiditas.
15. Fama & decus.
Denique diuina voluntas.

II. *De Ira*.

IRA definitur ab Aristotele, vlciscendi sui cum dolore coniuncta cupiditas, quæ oritur ex opinione contemptus.

Inter iram, & iracundiam, hoc intercedit discrimen, quod iracundia sit veluti parens iræ, & ira veluti proles iracundiæ.

Iram quàm proximè accedit ad odium.

Excitatur autem & incenditur.

1. Opinione contemptus & illatæ iniuriæ.
2. Inimici nostri gaudio in aduersis. Ira motiua.
3. Contemptu dignitatis & excellentiæ nostræ.

4. Contemptu propter leuem causam.
5. Frustrata spe auxilij vel honoris.
6. Vituperatione eorum quæ laudamus, & contra.
7. Læsione ab amicis & propinquis accepta.
8. Abiecta conditione eorum qui nos offendunt.
9. Maledictis in nos collatis.
10. Conatum nostrorum & consiliorum retardatione.
11. Fraude & dolo.
12. Ingrati animi vitio.
13. Officij vel beneficij negatione.
14. Denique obtrectatione.

Ira quomodo sedatur.

Molitur ira & placatur ijsdem ferè capitibus, ex quibus misericordia & clementia oriuntur.

Non parum confert ad restinguendam iram.

1. Personæ mitigantis conditio, potestas, & veneratio.
2. Illata priùs iniuria.
3. Animi demissio seu humilitas pia & deuota.
4. Inimicorum nostrorum incommoda.
5. Temporis ratio & opportuna occasio.
6. Cognita ira eorum qui nos offenderunt.
7. Cognitio suorum defectuum.
8. Mora & vindictæ retardatio.
9. Accepta damna ex ira.

10. Ani-

10. Animi fortitudo.
11 Excusatio personæ offendentis.
12. Maturè consilium datum.
13. Iræ fœditas turpitudo in se vel in alijs agnita.
Denique iniuriæ illatæ, & leuitas perspecta.

12. *De Mansuetudine*.

MAnsuetudo siue clementia est motus iræ contrarius, quo animus iratus sedatur. Mansuetudo.

Conciliatur autem mansuetudo. Mansuet. quom. concilietur.
1. Depositione contemptus.
2. Criminis confessione.
3. Animi demissione.
4. Beneficiorum acceptorum commemoratione.
5. Amoris blanda significatione.
6. Explicatis grauioribus pœnis aduersarij cui irascimur.
7. Virtutis commendatione.
8. Timore incusso.
9 Deprecatione.
10. Exemplo æqualis seueritatis erga se & erga alios.
11. Proposita vera solidaque gloria mansuetudinis.
12. Denique moderatione vultus & sermonis orationis illecebris, suauitate ac modestia.

De reliquis animi motibus qui ad priores referri possunt.

De Commiseratione.

Commiseratio quid? Quomodo concitetur.

COmmiseratio est motus animi seu dolor quidam ex malo alterius.

Hic motus concitari potest.

1. Explicata florentis fortunæ mutatione.

2. Senectutis calamitosæ vel alterius ætatis adiuncta circunstantia.

3 Descripta morte propinquorum, amicorum, & parentum orbitate.

4. Enumeratis cruciatibus vel morbis, quos alij patiuntur.

5. Explicata malorum diuturnitate.

6. Subiectione ipsorum malorum quæ perferuntur.

7. Expositio rerum inopinato casu.

8. Orationis conuersione ad ipsos auditores, quærendo ex ijs quid in hac calamitate agendum putarent si fortè in eam incidissent.

9. Expositione circumstantiarum loci vbi res acta fuerit; & personarum à quibus malum illatum sit.

10. Appellatioae rerum mutarum in testimonium rei tam lugubris.

11. Obsecratione frequenti, modò huius modò illius &c.

12. Osten-

12. Ostendendo res minimè nostras, sed alienas nos lugere.

13. Denique ita nos præbendo misericordes, vt reos fortes exhibeamus.

Extinguitur miseratio ijs potissimùm rationibus, quibus ira inceditur, & præterea contrarijs misericordiæ. Indignè quom. mitigatur.

Item 1. Si probamus hominem de quo agimus dignum esse his calamitatibus.

2. Si æquum esse ostendamus, vt propter vitia sua puniatur.

Hic definitio conquestionis adiungenda est.

Conquestio, est oratio auditorum misericordiam captans. Vt nunc dictum est. Conquestio quid.

De Indignatione.

INdignatio est dolor perceptus res secundas alterius, quibus indignus iudicatur. Indignationis definitio.

Hæc autem bona sunt fortunæ.

diuitia, opes, potentia, honores, multitudo amicorum &c.

Concitatur indignatio Indignatio quò, concitetur.

1. Comparatione vitæ prioris quam duxit is, in quem motum indignationis concitamus, cum præsenti eius vita.

2. Explicatione modi quo peruenit ad amplissimam fortunam.

3. Exhi-

3. Exhibita bonorum illius prodigalitate in conuiuijs, laudis &c.
4. Exposita eiusdem insolentia, & superbia
5. Comparatione virtutis aliorum cum ipsius vitijs.
6. Exposita facinoris admissi atrocitate ab antecedentibus, comitantibus & consequentibus. Item & comparatione cum alijs criminibus.
7. Explicata eius, cui illata fuit iniuria, dignitate, innocentia, virtute conditione, merito in omnes. Et contra per antitheses explicata arrogantia, & impudentia illius, qui iniuriam intullit.
8. Iniuria illata quodammodo subiecta oculis, per hypotiposes, exclamationes prosopopœias, & alias eiusmodi figuras.

Indign. quom. mitigetur.

Mitigatur indignatione Insinuatione, hoc est efficiendo vt quem honoribus, & fortunæ donis iudices existimabant indignum, eum illis dignum esse putent; quod fit:
1. Asserendo bona illius comparata esse virtute & rebus præclarè gestis.
2. Probando ingenium eius nobile esse naturam egregiam.
3. Iampridem ea bona illum posse, disse, nec peruersè vnquam vsum fuisse.
4. Ostendendo modestum semper fuisse, nec vnquam insolentiùs se gessisse.

De

De Inuidia.

INuidia (quam Cicero vocat Inuidentiam) est motus quo quis dolet de prospera sorte alicuius: non quòd velit aliquid inde commodi percipere; sed quia nollet, illum cui inuidet, bonum aliquod possidere, quia suam propterea putat minui dignitatem. Inuidiæ definitio.

Bona quæ sub inuidiam cadunt, sunt ea in quibus est aliquid laudis.

Inuidia ferè nascitur inter pares, vel etiam aliquando contra inferiores.

Inuidia concitatur.

1. Si doceamus, bona non merenti contigisse. Inuidia quom. concitatur.
2. Si ostendamus, aduersarium propter sua bona insolescere.
3. Si explicetur quàm paruo negotio paruoque sumptu consecutus fuerit honores quibus ornatus est.
4. Si eorundem studiorum æmulatio sit.
5. Si probemus aduersarium alienæ laudis esse æmulum.

Tollitur autem inuidia contrarijs capitibus: præterea si probemus. Inuidia quom. tollatur.

1. Non sua quæsita esse commoda.
2. Bona comparata esse proprio & magno labore.
3. Collatione bonorum quæ possidentur cum malis quibus hæc acquisita sunt.

4. Si

4. Si ostendamus, magni esse animi, non inuidere.

5. Declaratione damnorum quæ ab inuidia proficiscuntur.

De Æmulatione.

Æmulationis definitio. ÆMulatio est animi motus, quo dolemus de aliena sorte, non quod aliquid boni alteri contigerit, sed quia illud bonum nobis optamus.

Æmulationis diuisio. Duplex est æmulatio, altera mala, altera bona: mala felicitatem alienam sibi quocunque modo desiderat: bona est virtutis imitatio.

Æmul. quom. concitetur. Concitatur Æmulatio.

1. Explicatis præclarè gesti maiorum, parentum virtutibus & ægregijs facinoribus.

2. Propositis illustribus exemplis virorum illustrium.

3. Promissa decoris & famæ amplificatione.

Quam minuitur. Minuitur autem æmulatio, 1. contemptu laudis & personarum; 2. ostendendo, nihil esse quod magnopere commendatione dignum haberi debeat.

De pudore & Verecundia.

Pudoris definit. PVdor est animi dolor ex re quæ famæ labem inferre potest.

Exci-

Excitatur pudor. Pudor quomodo excitetur.

1. Explicata rerum turpitudine.

2. Animi remissione, & negligentia in rebus gerendis declarata,

Demonstrata audaciori temeritate in agendo.

4. Ingrati animi labe exprobata.

5. Probato contemptu.

6. Leuitate & inconstantia in decretis & iudicijs ostensa.

7. Iniustitia facinoris patefacta.

8. Explicata auaritia, vel ex rebus minùs honestis quæstum faciendo: vel ex parcimoniam in abundanti fortuna, lucrum faciendo: vel miserijs aliorum ninnquam subueniendo: vel adulationibus lucrum captando &c.

9. Exhibita imbecilitate animi.

10 Denique inusto dedecore & infamia.

Minuitur verò pudor. Pudor quom. minuatur.

1. Commendatione rei gestæ.

2. Prolatis exemplis quibus pudor nocuit.

3. Erectione animi.

4. Denique gloria connexa rei qua de agitur.

De Gratia.

Gratia, cum sumitur pro collatione beneficij gratis facta, est animi motus, quo ferimur ad aliquid egenti gratis faciendum. Gratia pro beneficio sumpta.

Gratia,

Gratia pro gratiarum actione. Gratia, accepta pro animi testificatione, est animi affectus, quo ferimur ad gratias agendas de beneficio accepto, & parem gratiam referendam.

Prior gratia quom. conciliatur. Gratia, secundùm priorem sensum, conciliatur.

1. Exposita personæ indigentia & miseria.
2. Rei vrgentis necessitate.
3. Temporis conditione.
4. Personæ dantis merito & dignitate.
5. Modo gratiæ collatæ.
6. Habita loci ratione.
7. Denique fine propter quem conferenda est gratia.

Quom. remoueatur. Eleuatur autem & remouetur gratia accepta.

1. Si ostendatur, fortuito factam esse.
2. Si non vtilem sed perniciosam esse.
3. Non esse gratis factam.
4. Vilem esse & abiectam.
5. Redditum esse beneficium.
6. Denique parem aut maiorem collatum esse inimicis.

De Iocis & facetijs.

Quom. iocandũ fit. IOcari nonnunquam licet, modò moderatè & ingeniosè fiat, & cachinus absit.

Et ad quid risus moueatur. Nonnunquam orator risum mouere potest, 1. ad conciliandum sibi beneuolentiam

lentiam & existimationem ingenij: 2. Ad eludendum aduersarium. 3. ad eruditionem suam ostentandam, & vrbanitatem significandam: 4. denique ad tristitiam deliniendam: & odium dissoluendum.

Videndum est etiam vt res quæ pertractatur, à risu non abhorreat.

Abesse autem debet omnis agrestis asperitas & turpitudo; Adesse verò semper modestia, & decorem seruari.

Denique cauendum est nè argutiæ & lepores in scurrilitatem, procacitatem, & obscœnitatem incidant.

Orator fugere debet risum omnem procacem, dicacitatem petulantem, sales insulsos, nugas aniles, dicta frigida vel sordida.

Item non debet scurram agere & minum, nec mordax esse, nec cauillator.

Hi loci Oratori permittuntur. Vrbanitas, qiud

1. Vrbanitas, quæ est sermo præ se ferens in verbis & sono proprium vocis vsum, & ex conuersatione doctorum eruditatem significationem.

2. Rusticitas, quæ est sermo ingenus & simplex. Rusticitas, quid.

3. Venustas, quæ est sermo suauis cum lepore & gratia coniunctis.

4. Soles, qui sunt quasi quoddam orationis condimentum.

Triplex est iocus serius.

1. Honorificus.

2. Con-

2. Contumeliosus.

3. Medius seu Apophregmaticus.

Diuiduntur etiam ioci in iocos qui consistunt in te, in iocos qui consistunt in verbo, & in iocos qui vtrumque complectuntur.

Cauilatio sumi potest.

Cauillatio vnde sumitur.

1. Ab apologo.

2. A fabula.

3. A narratione rei fictæ.

4. Ab historia.

5. Ab expressione morum, vultus, & sermonis.

6. Ab eo quòd posteriùs legantur vel narrentur, quæ priùs legi vel narrari deberent.

7. Ab irrisione & Ironia.

8. A suspensione animorum.

9. A corruptione dictionum:

10. A ficta suspicione.

11. A simulatione ignorantiæ, quæ ab surdum aliquid proferat.

12. A paronomasia.

13. Ab Etymologia.

14. A comparatione cum re turpiori.

15. A lepida rei depressione.

16. A festiua similitudine.

17. A dissimilitudine.

18. A contrario.

19. A causa.

20. A partitione.

21. A refutatione iucunda.

22. Ab

22. Ab ambiguitate verborum.
23. Ab inopinata rei prolatione.
24. Ab immutatione vocabuli.
25. A lepida interpretatione nominis.
26. A prouerbiis.
27. Ab interpretatione ſententiæ ad verbum, non ad veram ſententiæ ſignificationem.
28. A metaphora.
29. Ab inuerſione dictionum.
30. A familiari admonitione.
31. A deſiderio rerum quæ fieri non poſſunt.
32. Denique à non expectata reſponſione.

Vſus Motuum.

AD genus Demonſtratiuum in laudatione pertinent motus lætitiæ, amoris, & gratiæ. *Motus generis demonſtrat.*

In vituperatione ſpectant motus triſtitiæ, odii, iræ & indignationis.

Motus generis deliberatiui in ſuaſione ſunt motus confidentiæ & ſpei; In diſſuaſione, timoris, & deſperationis. *Motus generis delibet.*

Motus generis iudicialis in accuſatione ſunt motus iræ & indignationis contra crimina & ſceleratos: in defenſione ſunt motus clementiæ & commiſerationis in accuſatos. *Motus generis iudicialis.*

De Figuris quæ aptiores sunt ad concitandos affectus.

AFfectus excitari solent post rem aliquam insignem amplificatam aut probatam.

Augentur autem per figuras sequentes.

1. Per exclamationem. Vt. *O ingratum hominem, qui tot Dei tui beneficiorum memoriam tam facilè deponis &c.* Vel, *Sic pergis insane, sic pergis Deum lædere &c.* Vel, *Væ tibi Vesane, qui perniciem amas tuam &c.* Vel *O suaues Christi puelluli lachrymas &c.*

2. Per apostrophen. Vt, *Obstupescite cæli!* Vel, *Audi cœlum, & auribus percipe terra quia Dominus locutus est.* Vel, *Lætentur cœli, & exultet terra.* Vel, *Te te appello mons Caluaria, hic testis adsi dolorum Christi, &c.*

Ef.40. 3. Per hyperbolen. Vt, *Tacui, semper silui patiens fui; sicut parturiens loquar dissipabor simul & absorbebo; desertos faciam montes & colles, & omne grauamen eorum exsiccabo.* Quibus verbis diuini furore magnitudo exprimitur.

Cor.9. 4. Per interrogatione, quæ, quò frequentior erit, eò erit vehementior. Vt apud D. Paulum. *Non sum liberi non*

sum

sum Apostolus? nonne opus meum estis in domino? Et Paulò post. *Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineam & de fructu eius non odit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid secundùm hominem hoc dico? An & lex hac non dicit? &c.* Vel apud Ciceronem, *Quo vsque tandem abutere, Catilina, patientia nostra &c.* 1. Catil.

5. Per obsecrationem. Qua figura sæpissimè Oratores vti solent in motibus excitandis. Vt apud D. Paulum *Ipse ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi &c.*

6. Per adiurationem Vt, *ad iuro te, Lector quisquis es, Vt Christiano pectore etiam atque etiam prependas quàm miseranda sit sors hominum, qui propter angustissima huius terræ tuguriola, immensam illam cælestis regni amplitudinem amittunt &c.*

7. Per optationem. Exemplum sit. *Vtinam saperent & intelligerent, ac prouiderent.*

8. Per admirationem. Vt, *Quomodo cecidisti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Psal, 24. Vel, *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis quib. conuersus es retrorsum.*

His Figuris addi possunt repetitio conuersio, complexio &c.

De

De Iudicio adhibenda in motuum inuentione & vſu.

Iudicium in vſu motuum.

ORator diligenter obſeruet circumſtantias omnes, & adiuncta perſonarum, quas, permouere cupit.

2. In ſe priùs excitet motum cum quem in alijs concitate deſiderat: moueri enim debemus, vt alij moueantur.

3. Voces, ſententias, & geſtum ad motum, quem intendit, accommodet.

4. Rem oculis ſubijciat, quantum fieri poterit, quæ apta ſit ad motum.

5. Etſi motus per vniuerſam orationem diffundi poſſint, videat tamen ſedulò vbi præcipuè ſint adhibendi.

6. Denique caueat, ne cum lepidus videri velit, nugax potiùs & ſcurrilis videatur.



LIBER III.

PRIMA PARS

De Dispositione Partium Orationis.



Ispositio, est secunda pars Eloquentiæ ad res inuentas in ordinem distribuendas accommodata. Vel breuius, est rerum inuentarum in ordinem distributio. Dispositionis.

Triplex est dispositio 1. Naturalis. 2. Arbitraria. 3. Artificialis.

Dispositio *naturalis* est ea, quæ ordinem naturæ sequitur, scilicet tempore, natura, loco, & dignitate. Dispos. naturalis.

Priora tempore v.g. dies hodiernus respectu diei crastini.

Priora natura v.g. sol respectu luminis; causa respectu effectuum &c.

Priora loco sunt v.g. firmamentum respectu cœli Planetici.

Denique priora sunt dignitate, quæ sunt præstantiora v.g. autem respectu argenti &c. Dispositio arbitraria.

Dispositio *arbitria*, seu *prudentia*, est ea, quæ nullum habet certum ordinem,

nem, ſed pendet ex ſola voluntate *ſcribentis* aut dicentis pro neceſſitate cauſæ. Ita Cicero pro Milone, Vbi contentionis partem vnam narrationi præmiſit: quia prudenter coniiciebat fore vt narrare non poſſet rem geſtam, niſi quæ inuidioſa erant, priùs ſeiunxiſſet ab reliqua narratione poſtea inſtituenda.

Diſpoſitio artificialis.

Diſpoſitio *artificialis*, eſt ea, quæ vel ad voluptatem vel ad vtilitatem ſpectat, ordinem naturæ non ſeruans ſed modò à fine, modò à medio ab initio rem exordiens, prout iucundior futura eſt.

Hæc diſpoſitio artificialis triplex eſt.

Diſpoſitio artificialis triplex. Analytica.

Prima eſt *Analytica*, quæ fit 1. cùm à toto ad partes fit progreſſus, v. g. à laude hominis ad laudem ſingularum partium hominis. Vel cum à laude fortitudinis in genere gradatio fit ad magnanimitatem in aggrediendo, ad patientiam in tolerando etc.

2. Cùm res reſoluitur in ſua principia v.g. ſi diceretur dolorem eſſe tolerandum, quia honeſtum eſt; honeſtum eſſe, quia ſcum virtute coni unctum eſt etc.

3. Cùm à fine ad media fit regreſſus v.g. ſi diceretur finem Rhetoricæ eſſe benedicere, benedici non poſſe ſine elocutione, ergo ab elocutinne initium eſſe ducendum.

Secunda eſt *Synthetica*, fitque contra-

trariis modis analyticæ, nempe à partibus ad totum, à principiis ad rem ipsam, à mediis ad finem. Synthetica.

Tertia est *definitiua*, quæ vtramque complectitur. Definitiua.

Ex fine totiùs Orationis numerus partium quas continet facilè ac certò colligi potest Finis autem est persuasio, quæ duabus maximè rebus nititur, fide, quæ argumentis conciliatur; et motu, qui ex prudenti affectionum animi commotione excitatur. Hinc intelligi potest, orationis partes alias esse quæ ad fidem, alias quæ ad motum, et alias quæ ad vtrumque pertinent.

Addi posset alia dispositionis ratio ex arte Oratoria, nempe locorum Rhetoricæ et animi motuum. Disp. r.

Vtramque autem dispositio, tum locorum Rhetoricæ, tum animi motuum, duplex est, vna proxima, et altera remota. Dispos. Rhet.

Proxima locorum Rhethoricæ dispositio fit per argumentationis varietatem.

Remota eorundem locorũ dispositio fit per partes orationis. De quibus hoc libro.

Proxima motuum dispositio fit per amplificationem. Dispos. Proxima.

Remota ipsorum motuum dispositio fit per diffusas amplificationes in singulis partibus orationis. Remota. De motuum.

De motuum dispositione.

Obserua 1. quòd cùm motus duplex

ſit, alter lenior, & alter grauior; *lenior* pertineat ad exordium, in quo gratia conciliatur; grauior maximè ad Perorationem, cuius finis eſt flectere auditores & mouere.

dispoſ. Obſeruatio.

2. Quòd cum fides duplicem habeat viam alteram quæ initur per ſolam rei expoſitionem, & alteram quæ per probationem: prior via ad narrationem tendat, poſterior ad confirmationem.

Ex his collige quatuor eſſe Orationis partes nempe. *Exordium*, *Narrationem*: *Confirmationem*, Vel *Contentionem*, & *Perorationem*. Vel, *Epilogum*.

Obſeruatio. 1. Obſerua 2. quòd abſolutè dici poſſet; duas eſſe tantùm Orationis partes: *Narrationem*, quæ eſt expoſitio *rei geſtæ*; & *Contentionem*, in qua cauſæ ius diſcutitur Quia ſcilicet hæ duæ partes *nullo* modo prætermitti poſſunt.

In contentione tum eam probantur quæ aſſerimus, tum ea refutantur quæ ab aduerſarijs allata ſunt. Hinc fit vt refutatio et confirmatio ad vnam & eandem orationis partem pertineant, ſaltem ex multorum Rhetorum ſententia.

Quod verò ſpectat ad propoſitionem digreſſionem, & amplificationem, nulla partem orationis nouam conſtituit: propoſitio enim eſt tantùm poſtrema pars exordij, vel prima pars narrationis.

nis. Digressio verò referri debet ad partem eam orationis, à qua proficiscitur. Amplificatio denique, est tantum singularum orationis partium instrumentum.

CAPVT I.

De Exordio.

EXordium est prima pars orationis, quæ animum auditoris præparat ad reliquam orationem, conciliata beneuolentia & attentione, factoque docili Auditore. Vel, ex Cicerone, est principium Orationis per quod animus auditoris vel iudicis præparatur ad audiendum, Hinc à Græcis dicitur procemium. Exordi. dispositio.

Artic. 1. *De Partibus Exordij*.

PArtes Exordij quatuor esse possunt, nempe *Expositio*, *Ratio*, *Redditio*, *& comprobatio*.

Expositio est explicatio rei, qua de agitur. Vt, *Neminem vestrum latet, Quirites, quanta mala Carthaginenses propter vestigalium magnitudinem patiantur &c.* Expositio.

Ratio, est causa propter quam res in Ratio.

ſe habeat. Vt, *Neque enim res ita parua eſt, vt latere poſſit.*

Redditio. Redditio eſt quaſi concluſio aſſumpta conſequens expoſitionem, et rationem. Vt, *vos autem decet, Quirites, pro gloria, & laude veſtri nominis tributa miſeris diminuere, &c.*

Comprobatio denique, eſt huius concluſionis aſſumptæ cauſa. Vt, Nè *cogantur tantum calamitatem experiri, vt & filios quos genuerunt, in perpetuam vendant ſeruitutem.*

Non eſt tamen neceſſe, has quatuor partes in omni exordio reperiri: aliquando enim pauciores ſunt. Saltem vna ex his duabus, ſcilicet *principio, & inſinuatione requiritur.*

Principium. Principium autem eſt cum ſtatim & quaſi aperto marte ſine metu aut ſcrupolo idoneum reddimus auditorem ad audiendum.

Inſinuatio. Inſinuatio verò fit veteratoria quadam adhibita verborum ambage, ac circuitione obſcura, vt in animum auditoris nihil minùs cogitantis irrepamus. Vel, vt clariùs loquar, inſinuatio occultè facit, quod apertè facit principium: de illa inferiùs.

Art.2.

Art. 2. Quæ pronoscenda sint ad Exordium.

VT exordium ducatur.

1. Natura *causæ* cognosci debet. Ad exordium

2. Habenda est ratio *circunstantiarum personæ, rei, loci & temporis.*

Exordium aliquando fit ex necessitate, aliquando ad ornatum.

Vt autem prudenter ducatur, attende ad statum quæstionis de quo infra, post explicationem propositionis.

Attende præterea ad qualitatem causæ quam pertractaturus es. Causæ qualitatis.

Hæc qualitas est quintuplex, nempe *honesta admirabilis, dubia* vel *anceps, humilis, & obscura.*

Quæ *turpis* est, vel ad humilem vel ad mirabilem referri potest. Honesta.

Qualitas causæ *honestæ* est, cùm statim sine oratione nostra fauet auditoris animus.

Qualitas causæ *admirabilis* est, cùm ab ea auditoris animus alienus est. Humilis.

Qualitas causæ *humilis* est, cùm ab auditore negligitur. Dubia.

Qualitas *dubiæ* vel *ancipitis* causæ est cùm auditori videtur honestatis, & turpitudinis particeps.

Qualitas denique *obscura* causæ, est, cùm difficilioribus ad cognoscendum Obscura.

ambagibus implicatur. Pro diuersitate autem huius qualitatis causæ, variè est exordiendum.

Art. 3. De Duplici Exordiorum genere.

EXordij duplex est genus.
Alterum est *ex abrupto*.
Alterum *iustum ac legitimum*.

Exordium ex abrupto.

EXordium *ex abrupto* est illud quod est sine præparatione animi, id est, sine animi conciliatione. Fitque.

Libertas dicendi. 1. Per quandam *dicendi libertatem* Vt, *Vestrum nunc iam in conspectum venio iudices, non vt facinori meo excusationes prætexam; sed vt illius æquitate fretus, vestra me iudicia non vereri manifestem: atque si per aduersam fortunam nulla defensionis meæ ratione habita, & causa cadam, & capite plectar, animo tamen non cadam, nec ob inustam iniuste honori meo labem, plexisse hostem pœnitebis*. Vel vt Liuius lib. 2 *Romanus sum ciuis &c. Hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est, quàm fuit ad cœlum, & facere, & pati fortia, Romanum est*:

Deprecatio. 2. Per *deprecationem* initium ducendo à pre-

à precibus. Vt, *Ah fili* (sic diceret Iocasta.) *Matrem interficis dum sęuis in fratrem, in eo vita mea delitescit. Emolliant lachrymæ fili mi, cor tuum: cedat amori meo furor tuus &c.*

3 Per increpationem ipsos initio arguẽdo eum quem alloquimur. Vt dux ad milites hoc ferè modò: *Quæ tam hæc turpitudo vestra, Milites huc vsq; fortissimi? Patria, parentes Princeps, terra, cœlum erubescunt, plectentque hanc istam ignauiam: an ne tot ac tam illustribus victorijs finem faciet tam indigna defectio? flectite iam iam in hostes vultum, irrumpite, & memoranda strage lauream vobis immortalem capiti imponite.* Increpatio.

4. Per expostulationem, conquerendo de re aliqua. Sic Ciuitas principis absentiam ægrà ferens, ingemisceret. *Quo vsque tandem non tangent animum tuum fletus mei, suauissime Princeps? quo vsque te extra tenebunt terræ, & Ciuitati tuæ te de pereanti, ipsas antepones &c.* Expostulatio.

5. Per emphasim rem augendo & verbis amplioribus vtendo. Sic Darius tertiò prælium commissurus: *Post tot ac tam grauia fortunæ tela, ò milites, ipsa iam in eam retorquere, vtile esse non dicam, sed necesse: hoc prælij caput est, hæc vna vita salus ac libertatis via &c.* Emphasis.

Commiseratio. 6. Per commiserationem. Sic Philippus Rex inter filios Perseum accusatorem: & Demetrium patricidij reum: *Quis me malus Genius, quod funestum omen cogit sedere inter vos Iudicem? tu fratres accusator, tu reus; ambo sanguinis mei labes, & dedecus; alter alteri tam infensus! quàm pœnitenda sors mea &c.*

Exclamatio. 7. Denique per exclamationem, & letitiæ motum. Vt, *O millies fortunatam gentem &c.*

Exordium iustum ac legitimum.

Exord. ac legitim. Exordium *iustum* ac *legitimum* illud est in quo animi auditorum per quandam insinuationem præparantur ad reliquam orationem.

Insinuatio. quid? Insinuatio autem est artificium quo callide, & latenter insinuamur nos in beneuolentiam auditorum vel iudicium. De hac paulò infra.

Exord. ducitur ab opinione. Exordium iustum duci potest.

1. Ab opinione, & sensu eorum apud quos agimus, vt nos ad eorum mentem flectere cum videamur, ipsos ad mentem nostram faciliùs alliciamus, V.G. si quis velit persuadere *bellum*, is exordium ducet ab *laude virtutis bellicæ*, quæ in animis illorum inest, ad quos orationem habet.

Hinc

Hinc colligendum eſt, ita oportere nos vti hoc exordio ab opinione, vt ſi eorum opinio, apud quos dicimus, nobis minimè faueat, eam auellere cautè ſtudeamus: ſi vero nobis faueat, ea vtamur ad conciliandam nobis, & amicis noſtris beneuolentiam, vel ad concitandum odium in aduerſarios, contra quos agimus.

2. A diuiſione, quæ (in Genere preſertim Demonſtratiuo) eſt, quando ex multis conſideratis, vnum dumxtat eligitur. Hoc exordij genus commune eſt ac vulgare. Vt, *Non immeritò Roma, Præſtantiſſimorum parens bellatorum, virtutum templum ac palatium exiſtimata eſt: Iuſtiſſimæ illius laudes, vt animum meum rapiunt, ita eum in anguſtias, adducunt, præ rerum dicendarum copia. An eius originem, quæ ſanè diuina eſt, an Senatus maieſtatem, an ædificiorum ſtructuram, an triumphos &c. collandabo? vno verbo Roma, mundi caput, Regina, domina, miraculum eſt.* A deuiſione.

3 Ab adiunctis, ad imitationem Ciceronis, hoc autem exordium ſumitur. Ab adiunctis. Vel *à perſona aduerſarij*, cui inuidia conflatur: Vel *à propria perſona Oratoris*, qui à ſe malam omnem ſuſpicionem remouet, vt ante dictum eſt; Vel *à tempore*, cuius occaſio commoda eſt: Vel *à lo-*

co, qui propter maiestatem suam & dignitatem commendatur: Vel denique ab alijs adiunctis. Exemplum sit pro Milone, vbi Cicero exordium ducit ab occasione, & noua iudiciorum forma, propter milites adstantes in foro.

Ab insigni quæstione. 4. A proposita quæstione insigni. Exemplum sit 1. de Inuentione, dum Cicero sic exorditur: *Sepè & multum mecũ cogitaui, &c.* Videatur hoc exempl.

A contrario. 5. A Contrario rei quam proponere volumus, idque maximè ad laudem vel vituperium. Exemplum sit. *Post tot subiectas ditioni nostræ & gentes, & terras, Charissimi milites post tot exantlatos labores, &c. Si vos aliquãtulũ quietis cogitatio, & Patriæ desiderium afficiat, minimè id mirum mihi videtur; nomen enim vestrum celebre satis est. Atque si his omnibus frui nos tutò posse intelligerem, ergo ipse reditum vobis in patriam suaderem: sed cùm ea vi, non amore teneamus, cùm supersint hostes, qui nobis exitium minitentur, si arma deposuerimus, saluti profectò renuntiamus &c.*

A similitudine. 6. A similitudine. Exemplum sit. *Nonne is commiserationem vobis moueret, auditores, qui vtroq; cassus oculo nulla aut natura aut artis opera posset intueri? Qui cùm in magnificas ædes, omniũque diuitiarũ genere circumfluentes de-*

duceretur, atque inde in aream miris sculptilibus decoratam, postea in hortum suauissimo florum discrimine contextum, & in amœna loca, vbi &c. Nullum tamen præ cæcitate perciperat oblectamentum? At quanto miseratione is dignior est, qui animi oculis orbatus, hoc est, indoctus, & ignarus est, cui nulla bene viuendi ratio prælucet, qui in tam dubia hominum sorte nullius consilij capax est, qui &c.

7. A dissimilitudine, Vt, *Exploratum est nobis Auditores, experientia perspectum homines bene multos ita sibi addictos esse ac mancipatos vt se vsura lucis non dignos esse arbitrari videantur, nisi omnibus ac singulis contumaciter insultent, & elatiori supercilio cæteros inferioris notæ homines aspernentur. Is profecto sensus longissimè abhorret à diuina ratione agendi cum hominibus, quam Christus Dominus, eiusque mater constantissimè tenuerunt &c.* A dissimilitudine.

8. A consuetudine v.g. *Consuetudo erat profectò singularis apud ipsas gentes, deprauatæ licet naturæ tenebris inuolutas, vt &c.*

Posset etiam duci Exordium ad historia quæ cum ea re, de qua agimus consentiret.

Posset præterea duci ab Apophtegmate, v.g. *Præstantissimus aliquando Philosophus*

sophus saltanti Regi dixit, (Agamemnonis personam tibi impositam ne ignores) Sed quàm aptiùs Christianis nostris id obyci posset. Num pudet vos Christiani, ad scurrarum sordes descendere, qui ad Dei similitudinem perfectam aspirare potestis &c.

Ab inaudito casu. Posset insuper duci ab inaudito aliquo facto quod vel rem augeret, vel minueret pro argumenti ratione.

Nonnunquam exordium ducitur ab Ænigmate quod proponitur.

A iudicio. Nonnunquam à iudicio quod de re simili latum fuit ab alijs gentibus vel iudicibus.

Aliquando ab exemplo vero, vel ficto aut fabula.

A fictione. Aliquando ab aliquo insigni pronunciato idque genus exordij plurimum præstat in deliberationibus.

Aliquando ducitur à fictione, cum scilicet Orator, vt voluptatis aliqui Auditoribus afferat, ingeniosè fingit sibi, vel alijs quidpiam accidisse, vnde sumat exordium. Attendere autem oportet in hac fictione, vt accommodata sit ad finem orationis nostræ.

A locis Rhetoricis. Denique, vt exordiorum fontes claudam, ex omnibus locis Rhetoricis, maximè tamen à definitione, Adiunctis, & causis duci poteſt.

Artic.

Artic. 4. Quæ maximè Orator attendere debeat in Exordijs.

CVm nihil ſit quod vehementiùs, & ſuauiùs Auditores ac Iudices alliciat, quàm ſi ſe virum probum Orator oſtendat; ideò diligenter curare debet, vt ſententiarum & verborum habito delectu, lenique actione, ac dicendi facilitate ſe virtutis ſtudioſum eſſe confirmet, & præſertim in Exordijs: cum id etiam obſeruandum ſit in Naratione, & Peroratione. Probatio virtutis in exordio requiritur.

Probat autem Orator ſe virum probum eſſe, cùm ex ipſius verbis ac ſententijs virtutis cogitatio ſuſpici poteſt ab Auditore, v. g. Cicero 2. Orat. in Catilinam, numer. 29. Se ex pietate agere probat ijs verbis. *Quæ quidem ego neq; mea prudentia neque humanis conſilijs fretus polliceor Quirites, ſed multis, & non dubijs Deorum Immortalium ſignificationibus, quos vos precari, venerari, atque implorare debetis &c.* Vel pietatis.

Orat. 4. in Catilinam, ſe ex charitate in Patriam agere oſtendit hoc Exordio: *Video Patres Conſcripti, in me omnium veſtrum ora atque oculos eſſe conuerſos; video vos non ſolùm de veſtro ac Reipublica, verum etiam ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſolcitos &c.* Legatur Vel charitatis in Patria.

tur hic locus, & obſeruentur motus, *ma-ximè* ad hæc verba: *Neque meam mentem non domum ſæpe reuocat ex animata vxor, abiecta metu filia, & paruulus filius qui mihi videtur amplecti Rempublic. tanquam obſidem Conſulatus mei.*

Vel iuſtitiæ. Orat. Pro Roſcio Amerino num. 20. ſe ex iuſtitia & æquitate agere ſignificat his verbis. *Sin a vobis, quod non ſpero, deſperar tamen animo non deficiam &c.*

Vel gratitudinis. Orat. De Lege Agra ia, num 5. ſe ex gratitudiue agere probat ijs verbis: *Verſantur in animo meo multa, & graues cogitationes &c.* Idem præſtat, orat. pro Archia Poeta, num. 1. Item orat. pro ſuo reditu ad Quirites, num. 1. Item orat. pro Sextio, num. 2.

Vel pacis. Philippica 13. numer. 1. ſe ex ſtudio pacis, & concordiæ agere ſignificat, his verbis. *In principio huius belli, Patres Conſcripti, quod cum impijs ſceleratiſque ſuſcepimus, timui nè conaitio inſidioſa pacis, libertatis recuperandæ ſtudia reſtingueret.*

Liberalitas. Ne longior ſit hæc obſeruatio, paucis complecti oportet quę ad eam pertineat. Liberalitas, & beneficentia ſignificatur oratione pro Flacco numer. 1. Item Orat. pro Plancio numer. 1. ſollicitudo, cura, & metus. Orat. 5. In Verrem num.

4. ab

4. ab his verbis: *Atque ego hoc plus oneris &c.*

Pro Quinctio num. 1. Item pro Milone num. 1. Item pro Deiotaro, num. 1. Humanitas, & amor doctrinæ, Orat. pro Archia Poeta ab his verbis: *Adductus sum iudices, officio &c.* Modestia, quæ abesse nunquam debet ab oratione nostra, ostenditur. Orat. 2. de Lege Agraria num. 2. ab his verbis, *De me autem ipso vereor, ne arrogantis sit, apud vos dicere; ingrati, tacere.* Item orat. pro Amerino, numer. 5. ab his verbis. *Ego huic causa patronus extiti.* Item pro Quinctio num. 1 Item pro Lege Manilia num. 1. Hinc collige quæ virtutes in exordijs desiderentur. Hæ autem virtutes potissimùm in exordijs elucere debent, *pietas, amor in Patriam, iustitia: gratitudo, concordia, & Pacis studium, humanitas, officij cura magnitudo animi, & modestia.* Modestia,

Artic. 5. Quæ obseruanda sint in Exordijs.

DE Exordijs obseruandum est 1 Quod ijs, à quo audiri volumus, reprehendi non debeat. Quare sit quid arguendum est, illud transferendum est vel in aduersarium, vel in quamlibet aliam causam, Exordiorum Industriæ.

2. Quòd

Excusatio. 2. Quòd, cùm acriorem, & vehementiorem motum exprimimus, vtendum sit excusatione Vt, *Si aut acriùs egero, aut liberiùs quàm qui ante me dixerunt, peto à vobis vt tantum Orationi meæ concedatis, quantum & piæ & iustæ iracundiæ concedendum putetis.*

Præmunitio. 3. Quòd præmunire nos oporteat, & rationem reddere, si quando in aliquem inuehi velimus. Vt Cicero Philippica 2. num. 10. *Non tractabo vt Consulem, nè ille quidem me vt Consularem; etsi ille nullo modò Consul &c. Ego sine vlla controuersia Consularis.* Vel, *Non consueui homines appellare asperius, Quirites nisi lacessitus: Vellem fieri posset, vt à me sine controuersia nominarentur ij, qui se Decem viros sperant esse futuros &c.* Vel, *Nimis vrgeo, commoueri videtur adolescens, ad me reuertar &c.*

Laudatio. 4. Quòd si aliquid iracundiæ & odij expromere volumus, laudatio præmittenda sit. Exemplum sit pro Lege Manilia, num. 51. ab his verbis. *At enim Vir Clarissimus Reipublicæ & vestris beneficijs amplissimis affectus Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunæ virtutis præditus Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt; quorum ego authoritatem apud vos pluribus locis plurimùm valuisse & valere oporte*

tere

tere confiteor: sed in hac causa, tametsi cognoscitis authoritates contrarias fortissimorum virorum & clarissimorũ; tamen omissis auctoritatibus, ipsa re, & ratione exquirere potissimum rationem.

5. Quod, cum alicui fidem derogare volumus, fingendum sit, nos amorem, studium, beneuolentiam profiteri. Exẽplum sit; Orat. pro Flacco numer. 9. Ab his verbis: *At quos testes? primùm dicã (id quod est cõmune) Græcos; non quo rationi huic ego vnus maximè fidem derogem, nam si quis vnquam ex nostris Hominibus à genere isto studio ac volũtate non abhorens fuit, me & esse arbitror, & magis etiam tum, cum plus erat otij, fuisse: Sed sunt in illo munere multi boni, docti, prudentes, qui ad hoc iudicium deducti non sunt; multi impudentes, illiterati, leues, quos varijs ex causis video concitatos. Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis literas, do multarum artiũ disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorm acumen, dicendi copiam &c.* Fictio amoris & beneuolẽtiæ.

6. Quod Idem fieri debeat, cum de aliquo vel querela est habenda, vel cum ille ipse est arguendus, nè videatur oratio asperior. Exemplum sit Oratione pro Sylla num. 46. Ab his verbis: *Fero ego te Torquate, iamdudum fero, & nõ nunquam*

quam animum incitatum ad vlciscendam orationem tuam reuoco ipse & reflecto; permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti, sed nisi tibi aliquem modum vitæ constitueris, coges oblitum me nostræ amicitiæ, habere rationem nostræ dignitatis.

Præteritio. 7. Quòd venusta sit præteritio in Exordijs, nè plura congerere videamur. Exéplum sit secunda actione in Verrem, nu. 32. Ab his verbis: *Omnia præteribo quæ mihi turpia dictu videbuntur; neque solùm quid iustum audire, verum etiã quid me oporteat dicere, considerabo. Vos quæso date hoc & concedite pudori meo, vt aliquam partem de istius imimpudentia reticere possim; omne illud tempus, quod fuit antequam iste ad Magistratus Rempublicamque accessit habeat per me solutum ac liberum, sileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigilijs &c.*

Alterum sit Exemplum Diuinatione Verrem, numer. 28. Ab his verbis. *Hic ego de te plura non dicam, vnum illud credo omnes animaduertere, te adhuc ab nullis nisi à siculis potuisse cognosci; siculos hoc dicere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, se se tamen te Actore ad Iudicium non affuturos; quæ negent ex me non audies, hoc*

patere

patere id suspicari quod necesse est.

Tertium exemplum sit pro Roscio Amerino, num. 49. ab his verbis: *Permulta sunt quæ dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficij suscipiendi, quæ non modò idcirco prætereo, quod te ipsum non libenter accuso, verùm eo magis etiam, quòd si de illis cædibus velim cõmemorare, quætum facta sunt eadem ratione qua sextus Roscius occisus est, vereor, nè ad plures oratio mea pertinere videatur.*

8. Quòd cum viri alicuius dignitatis, vituperantur, nomini parcendum sit. Nominis reticentia.

9. Quod diligenter curandum sit, vt nos in Auditorum animos insinuemus; idque fit si Orationis nostræ stylum argumento accommodemus nihilque afferamus, à quo animus Auditoris sit alienus. Quare vtendum est præmunitione, si quid vel incredibile, vel absurdum, vel humile, vel dubium, vel obscurum, vel præter opinionem, vel turpe videri possit. Exemplum sit pto Marcello, nu. 2. ab his verbis: *Vereor, vt hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa quæ illa erat adepta, victis remisisti: Nam cum ipsius victoriæ conditione iure omne victi occidissemus, Clementiæ tuæ indicioo cõseruati sumus. Rectè igitur vnus inuictus es, à quo etiã* Orationis accommodatio.

ipsius

ipsius victoriæ conditio, visq; deuicta est.

Alterum sit exemplum in Pisonem nu. 32. ab his verbis *Tum verò forsitan, hoc quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur, Sed id dicam quod sentio, cum tantis à vobis, P.C. beneficijs affectus sum tantis honoribus; non non modò illam calamitatem esse non duco, sed si quid mihi potest à Republica esse se iunctum (quod vix potest) ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuisse illam expetandamque fortunam.*

Tertium sit exemplum Philippica 7. num. 1. *Paruis de rebus sed fortasse necessarijs consulimur, P. C. de Appia via & de moneta Consul, de lupercis Tribunus plebis refert; quarum rerum & facilise explicatio videtur, tamen animus aberrat à sententia, suspensis curis à maioribus, adducta est enim P.C. res in maximum periculum & extremum pene discrimen.*

Quartum sit pro Ligario, num. 2. *Habes igitur, Tubero, quod est maximè Accusatori optandum, confitentem Reũ, sed tamen ita confitentem se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaq priùs de vestro delicto confiteamini necesse est quàm Ligarij vllã culpã reprehendatis.*

Quintum sit pro Cluentio, num. 16.

ab

ab his verbis. Illud me non præterit, cuiusmodi cunque mater sit, tamen in Iudicio filij de turpitudine parentis dici vix oportere. Non essem ad vllam causam idoneus, iudices, si hoc quod in communibus hominum sensibus atq; in ipsa natura positum atque infixum est, id ego cum ad amici pericula depellenda adhiberer, non viderem. Facile intelligo non modò reticere homines parentum iniurias, sed etiam animo æquo ferre oportere. Sed ego ea quæ ferri possunt ferenda, quæ taceri tacenda esse arbitror.

10. Quod, si res vel causa suscepta honestatem contineat, plerumque lætitia ad Iudices pertineat, v.g. *Victi sunt hostes ope alicuius qui in exilium pulsus fuerit*, Si Orator velit probare *eum reuocandum esse in Patriam*. Exordium suum ducet à gratulatione. Vt Cicero 2. in Catilinam, Exordium incipit à gratulatione Deorum Immortalium. Motum explicatio.

11. Quòd, si Res vel Causa sit improba, aut turpis, dolor, ac indignatio ad Iudices pertineat. Quare Exordium ducetur ab indignatione & dolore.

12. Quòd, si Accusator venire possit in aliquam inuidiam, id primùm curare debeat, vt suspicionem hanc deleat. Remotio suspicionis.

13. Quòd si vir illustris virtute, aut nobilitate insignis accusetur, curandum

sit,

ſit, vt ipſo initio Exordij tollatur opinio alicuius odij, vel inuidiæ.

14 Quòd ſi Magiſtratus aut Viri Nobiles accuſentur, vel in deliberationibus contraria ijs ſententia dicatur; contemtus, odij, vel ſuperbiæ opinio diſcutienda ſit.

15. Quòd in defenſionibus ſit aliqua lucri ſuſpicio eſſe poſſit, remoueri ea debeat.

16. Quòd, vt faciliùs ſuſpiciones illæ omnes ab Auditorum animis remoueantur, proferri cauſa debeat Orationis, quæ animos conciliet.

Art. 6. De Inſinuatione requiſita in exordijs.

Inſinuationis cauſæ.

IN ſinuationis præcepta hæc pauca eſſe poſſunt, 1. Vt beneuolentia comparetur, vt in re quæ proponuntur aſſeratur plus eſſe commodi, quàm detrimenti, plus honoris, quàm dedecoris; plus delectationis, quàm laboris, 3. vt ſi quid alienum videri poſſit, acceptius fiat, 4. ſi quid incredibile ſit, exemplis, & teſtimonijs confirmetur, 5. Si humile, Orator illud amplificet, reſque nouas polliceatur, 6. Si obſcurum, leporibus, & ſalibus oratio condiatur, vel lepida aliqua narrario adhibeatur. Denique ſi turpe ſit, cum excuſatione obſcurè declaretur.

Cum

Cum res, quam proposituri sumus, honesta est, non opus est insinuatione, vel certè breuissima tantùm opus est.

Cùm admirabilis, incredibilis, humilis, anceps, obscura est, vtendum est insinuatione. Vide Orat. pró Marcello nu. 12. ab his verbis. *Veror vt quod dicam* &c In Pisonem num. 32 ab his verbis. *Tum verò forsan hoc* &c. Pro l. Manilia num. 30. ab his verbis. *Testis est Italia*, &c Philippica 7 numer. 1. *Paruis de rebus*. Pro Ligario num. 2 ab his verbis. *Habes igitur quod est accusatori maxime optandum confitentem reum* &c. Pro Cluentio, numer. 17. ab his verbis. *Illud me non præterit cuiusmodicunque mater sit* &c.

Cum aliquid contra quam propositum fuerit, afferendum est, adhibenda est insinuatio, vel cum oratio prolixior esse debet, vel fuit, vide 2. In Rullum nu. 1. *Est hac in more positum* &c, Pro sextio numer 87 ab his verbis. *Adijt ad Rempubl. Trib. Plebis Milo &c*. Pro Plancio num. 3. ab his verbis. *Equidem reliquos labores &c*. Pro Archia Poeta num. 3 ab his verbis. *Sed ne cui vestrum mirum esse videatur &c*.

Denique cum Auditor persuasus à persuasione dimouẽdus est, valet insinuatio; vide Orat. pro Mil. Vbi præiudicia refutantur ante narrationem rei gestæ.

Rem non gratam excusatio Lenit ac mitigat. Vide Orat. de Haruspicum responsis num. 61. ab his verbis: *Atque ego hanc orationem &c.*

Art. 7. Quæ figuræ in exordijs vsurpentur.

Exordij figuræ. HÆ solent esse Figuræ Exordiorum. 1. Dubitatio, maximè in defensione, & cùm aliquem arguimus, vt scilicet Auditoris animus suspensus teneatur.

dubitatio.

Hypotesis. 2. Hypothesis, sed potissimùm cum aliqua fictione, vt antè dictum est.

Occupatio. 3. Occupatio, & præcipuè in causis Iudicialibus, vt euellatur ex animus iudicium suspicio, quæ reo nocere posset.

Licent. 4. Licentia.

Distrib. 5. Distributio.

Antith. 6. Antithesis, & plerumque in Panegyricis.

Suspensio. 7. Suspensio, qua magnum aliquid promittitur.

8. Denique, ne longiores simus, Apostrophe, vt affectio sit vehementior. Vide singulas in Elocutione.

Exem-

Exempla figurarum Exordij.

1. Dubitationis in defensione.

DVbium mihi nunquam fuit quin verba Copiosè suppeterent in defensione viri Innocentis; sed cum me in extremas propè adductum angustias videam, nescio quæ seligam verba, vt dolorem vobis meum exprimam &c. Exēpl.

Dubitationis in increpatione.

EQuidem non ignoro, quæ vestra fuerint hactenus illustria nomina; sed me nouus rerum status ita perturbat, vt prorsus ignorem, quo nunc vos appellare nomine debeam: Ciues; qui patriam deseruistis; milites? qui vos totos voluptatibus permisistis; hostes? qui bonis & opibus nostris fruimini &c. Exēpl.

2. Hypotheseos cum fictione.

SI corpus vestrum par esset ingenio, quo Præditis estis, quoties multiplicandum esset? non centum profectò manus sufficerent, adeo multa consilia machinamini &c. Exēpl.

Vide Orat. in Vatinium, ab his verbis *si tua tātummodo, Vatini quid indignitas postularet, spectare voluissem &c.*

3. Occupationis.

Exẽpl. ALienissimi sanè omnes sumus, ò imperator, vel etiam à Leuissima cogitatione ferenda, quæ mandatis tuis aduersetur, nec propensione vlla ducimur in aliud, quàm in mortem fortiter tecum subeundam Si gratiæ tamen aliquid nobis non deneges, dum nos rerum angustiæ premunt, aliquantulum quietis humanissimè concedes &c.

4. Licentiæ.

Exẽpl. QVantumcumq; temeritatis damnandus esse videat, dicam tamen, iudices innocentiam meam aduersus calumnias omnes quæ mihi affictæ sunt, tutam esse ac munitam oportere.

5. Distributione.

QVæ duæ res captare beneuolentiam solent, eæ pro me ambæ plurimum faciunt in hoc tempore Amor, & beneficium &c.

Vide Orat. pro Quinctio ab his verbis, *quæ res in ciuitate duæ* &c.

6. Anti-

6. Antithesεos.

VIde Cic. in Oratore ad Brutum, ab his verbis, *Vtrum difficilius aut maius esset negare tibi sæpius roganti, an efficere id, quod rogares, diù multumque, Brute dubitaui &c.*

7. Suspensionis.

LEge 1. Verr. Cic. ab his verbis. *Quod erat optandum maximè, Iudices &c.*

8. Apostrophes.

O Cœlum! o terra! an hoc feretis crimen, quod pudore vos suffundere, vobisque sensum imprimere debuit, vt vindictam repeteretis? ò Cœlum! cur non disrumperis & scelestum caput non obruis? ò terra! quid moraris? cur non dehiscis? cur monstrum hoc non absorbes? Nescio quò me vertam, Auditores, adeò me vel etiam cogitatio criminis percellit. Vide Orat. pro Ligario ab his verbis, *Nouum crimen C. Cæsar &c.* Exempl.

Art. 8. De muneribus exordiȷ.

TRia sunt munera Exordii, primum est, facere Auditorem beneuolum; secundm facere docilem: tertium, facere attentum.

Conciliandæ. beneuolentiæ. Conciliatur autem beneuolentia post-quam remotæ sunt quælibet suspiciones, putà temeritatis, impudentiæ, & calumniarum. 1. Si Aduersarij in inuidiam & odium vocentur, recensitis eorum vitijs 2. Si Auditores, vel iudices concilientur, enumeratis eorum laudibus & meritis Quare cùm hoc præcipuum sit in Exordio, diligenter curandum est, vt & Aduersariorum vitia nouerimus, & Auditorum seu Iudicum virtutes & indolem cum laude explicemus. 3. si nostrum officium sine arrogantia laudemus, & quales esse velimus, vel fuerimus in parentes, amicos, auditores, explicemus. 4. si exponamus nostra incommoda v. g. inopias, solitudinem calamitatem, & rogemus vt nobis iȷ sint auxilio, ad quos orationem habemus, statimqne addamus nos in alijs spem nostram collocare noluisse. Exempla sint, Orat. 3. De lege Agraria, num. 1. vbi ab iniustitia Tribunorum plebis beneuolentiam sibi conciliat Cicero ab his verbis: *Commodiùs fecissent Tribuni plebis.*

(Margin notes: 1. Ratio. 2. Rat. 3. Rat.)

bis. Quirites, si qua apud vos de me detulerunt, ea coram potiùs me præsente dixissent. Nam & æquitatem vestræ disceptationis & consuetudinem superiorum, & ius suæ potestatis retinuissent: sed quoniam adhuc præsens certamen contentionemque fugerunt, nunc, si videtur ijs in meam concionem prodeant, & quò prouocati à me venire noluerunt, reuocati saltē reuertantur.

Pro Deiotaro num. 2. idem præstat ab his verbis: *Crudelis Castor nè dicam sceleratum & impium qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaque suæ terrorem incusserit & cuius senectutem tueri & tegere debebat, commendatione ineuntis ætatis ab impietate, & scelere duxerit, cui seruum corruptum premijs ad accusandum Dominum impullerit, & à Legatorum pedibus abduxerit.*

Beneuolentiam sibi conciliat Cicero ab Auditorum & iudicum laude pro Quinctio num. 5. ab his verbis: *Certè apud te, & eos qui tibi adsunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa vi & gratia: locum vbi consistat, reperire non poterit. Non eo dico, C. Aquili quò mihi veniat in dubium tua fides & constantia, aut quò non ijs quos tibi aduocasti, viris electissimis ciuitatis, spē summam habere P. Quinctius debeat.*

Pro Milone num. 2 ab his verbis: *Sed me recreat & reficit Cn. Pompeij sapientissimi viri consilium, qui profectò nec iustitia sua putaret esse, quem reum sententijs iudicum tradidisset, eundem telis Militum dedere, nec sapientia temeritata concitata multitudinis, authoritatepublica armare.*

Pro Rabirio numer. 5. ab his verbis: *Deinde, Quirites, quorum potestas proximè ad Deorum immortalium Numen accedit, oro atque obsecro, quoniam vno tempore vita Caij Rabirij hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reipublica vestris manibus suffragijsque permittitur, adhibetis in hominis fortunis misericordiam, in Reip. salute sapientiam, quam soletis.*

Pro Mil num. 4. & 5. à persona sua beneuol captat Cicer. ab his verbis, *Quamobrem adeste animis &c.*

Rationes docilitatis conciliandæ. Docilitas obtinetur. 1. si orator polliceatur se breuem fore, 2. si postquam fusior fuit, simulet se inuito id fecisse, 3. si Oratio sit ordinata & Auditorum memoriam adiuuet: quod fit, si res, de qua dicendum est, in partes suas clarè diuidatur. Exemplum sit pro Cluentio num. 1. *Animaduerti; Iudices, omnem Accusatoris Orationem in duas diuisam esse partes, quarum altera mihi niti & magnopere confidere videba-*

ba-

batur inuidia iam inueterata Iudicij Iuniani; altera tantummodò consuetudinis causa timidè & diffidenter attingere rationem veneficij criminum, qua de re Lege hac est quaestio constituta. Itaque mihi certum est, hanc eandem distributionem inuidia & criminum sic in defensione seruare, vt omnes intelligant nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo.

Denique attentio conciliatur 1 attentionem petendo. 2. magna pollicendo. 3. asserendo rem pertinere ad ipsos Auditores. 4. pericula obijciendo, si non audiatur. 5. rem auditorum iudicio permittendo. 6. affirmando se rem demonstraturum esse. Denique diuidendo & distribuendo clarè quaestionem, quae proponitur. Exempla sint. Rationes attentionis conciliandis.

Diuinatione in Verrem. num. 7. *Quid est, proh Deum hominumque fidem! in quo Reipublica solus hoc tempore prodesse possim? quid est quod aut Populo Rom. gratius esse debeat, aut socijs Exterisque Nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum.*

Oratione in Verrem. n. 1. *Neminem vestrum ignorare arbitror, Indices, hunc per hosce dies sermonem vulgi atque hanc opinionem Populi Rom. fuisse. C. Verrem non fuisse, neque ad Iu-*

dicium affuturum. Quæ fama non idcirco solùm emanarat quòd iste certè statuerat ac deliberauerat non adesse, verum etiam quod nemo quenquã tam audacem tam amentem tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis testibus euictus, ora Iudicum adspicere, aut suum Populo Rom. ostendere auderet.

Orat. 3. in Catilinam numer. 4. ab his verbis; *Atque ego vt vidi quos maximo furore & scelere esse inflammatos sciebam, eos esse nobiscum, & Romæ remansisse, in ea omnes dies noctesque consumpsi, vt quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem; vt quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret Oratio mea, rem ita comprehenderem, vt tum demum animis salutique vestræ prouideritis, cùm oculis maleficium ipsum videritis.*

Pro Plancio num. 3. *Nisi eius integerrimam vitam, modestimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero; nihil de pœna recusabo sin omnia præstitero, quæ summa bonis viris expetendas petam, iudices, à vobis, vt cuius misericordia salus mea custodita sit, ei vos misericordiam vestram me deprecante, tribuatis.*

Art. 9.

Art. 9. De motibus Exordij.

EXordij motus vt plurimum sunt leuiores; vel sunt grauiores, si grauiores, sunt tantùm quasi, Inchoati.

Hi autem motus sunt, vel lætitiæ vel doloris, vel spei, vel timoris, vel amoris, vel odij & indignationis. Vide hos motus suis locis in inuentione motuum.

Art. 10. Formulæ quedam Ciceronianæ attentionis conciliandæ.

PRo Flacco num. 32. *Itaque attende iam, Torquate &c.*

Pro Placio, num. 47. *Illud vnum vos magnopere oro atque obsecro, cùm huius quem defendo tum communis periculi causa, nè fictis auditionibus, nè disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subijciendas putetis, &c.*

Pro Cluentio num. 6. *Deinde si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio conuellet, si ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, nè repugnetis, eamq; animis vestris aut lubentibus aut æquis remittatis, Tu autem cùm ego vnaquaque de re dicam & diluam, ne ipsi quæ contraria sunt, tacite cogitationi ve-*

H 6 *stra.*

ſtra ſubÿciatis, ſed ad extremum expectetis, & me meum dicendi ordinem ſeruare patiamini; cùm perorar o, tum ſi quia erit præteritum, à me requiratis.

Pro eodem Cluentio, nu. 66. *Vos quæſo, vt adhuc me attentè audiſtis, item quæ reliqua ſunt, audiatis: profectò nihil à me dicetur, quod non dignum hoc Conuentu & ſilentio, dignum veſtris ſtudÿs atque auribus eſſe videatur.*

Art. 2. De virtutibus Exordiorum.

1. Virtus exor. PRima virtus exordij eſt vt ſit proprium, hoc eſt, vt aptum ſit ad cauſam, nec aliud faciat, quàm cauſa poſtulet v. g. Auditorem non reddat beneuolum, cum tantùm debet fieri docilis.

2. 2. Eſt, vt ſit accuratum, hoc eſt: verbis apertum & inſtructum ſententijs.

3. 3. Eſt, vt ſit verecundum.

4. 4. Eſt, vt ſit moderatè longum, vel potiùs breue.

Hic obſerua exordium fieri proprium.

Exordij proprij ratio. 1. Quando ex re nata & præſenti ductũ eſt nec domo allatum videtur: quare attendendum eſt, quid quæratur, apud quem, pro quo, contra quem, quo loco, quo rerum ſtatu, qua vulgi fama &c. tale eſt exordium pro Milone.

2. Quan-

2. Quando initium ducitur ab inopinato aliquo euentu. Exemplum sit exordium pro Rabirio.

3. Denique quando exordimur ab aduersarij dicto aliquo, præsertim quod illi vltima parte orationis excidit. 3.

Art. 12 De vitijs exordiorum.

QVod spectat ad Exordiorum vitia, haec sunt Exord. vitium.

1. Si vulgaria sunt, & pluribus causis possunt accomodari. 1.

2. Si tam reo; quàm accusatori, tam laudis quàm vituperio, tam suasioni quàm dissuasioni, tam defensioni quàm accusationi conueniunt. 2.

3. Si paucis mutatis, in contrarium sumi possunt. Vitium exord. 3.

4. Si longiora sunt: habent enim se per modum capitis, respectu totius orationis. 4.

5. Si nullam habent cum reliqua oratione connexionem. 5.

6. Si arrogantiora, & minus modesta videntur. 6

7. Si non satis verecunda sunt. 7.

8, Denique si non satis sunt accurata. 8.

Art. 13 & vltimus de Arteficio componendi exordij.

PRrimo proponenda est aliqua propositio, quæ ita causæ conuenia vt ex ipsius visceribus ducta videatur.

2. Est afferenda ratio illius propositionis, educta etiam ex visceribus causæ.

3. Hæc ratio amplificari debet, vel exemplis, vel apopthegmate, vel sententia graui, vel aliqua figura, qua pluribus exponatur id, quod in ratione paucis tractatum est. Vide quæ superiùs dicta sunt de amplificatione.

4. Conclusio accommodata ad propositionem afferenda est: quanquam aliquando propositioni respondere non debet, sed intentioni oratoris.

5. Hæc conclusio ratione aliqua firmari debet atq; amplificari, vt ante dictum est de cæteris partibus.

CAPVT II.

De Narratione.

Articulus 1. De Narratione in genere.

Narrationis definit. NArratio est, pars secunda orationis quæ rem explicat, de qua quæstio est.

est. Vel, est rerum gestarum aut quasi gestarum expositio. Per *res gestas* intelligimus *historiam*, per *res quasi gestas* intelligimus *fabulas*.

Hic obserua quòd narratio sit quasi sedes & fundamentum constituendæ fidei per reliquam orationem.

Narratio duplex est. Duplex narr.

Altera, est expositio quæstionis, seu rei qua de agitur.

Altera, rerum, quæ ad illam quæstionem pertinent.

Vtraque ita tractari debet, vt ornatè quidem & copiosè tractetur: sic tamen vt artificium non facilè agnoscatur, stylusque sit quasi per incisa, & non per periodos. Modus tractandæ narrationis.

Ipso initio narrationis adhibetur quasi præparatio, vel per explicationem antecedentium, vel per aliquem timorem, vel per admirationem, vel per quamuis aliam rationem. Dispositio ad narrationem.

Exemplum sit pro Amerino numer. 5. *Forsitan quæratis quis iste terror sit, & quæ tanta formido, quæ tot ac tales viros impediat quominùs pro capite, & fortunis alterius quemadmodum consueuerunt causam velint dicere.*

Nonnunquam omittitur illa præparatio, & initium ducitur orationis à descriptione, vel temporis, vel personæ. Præparatio ad narrat.

Aliquando digressio interseritur in Digress-

narra-

ſio narrationis. narratione, maximè cum res continet plurimum atrocitatis. Vt Cicer. Verr. 6. ab his verbis. *Ad ea autem quæ dicturus ſum &c.*

Pro Cluentio, in medio narrationis ab his verbis. *Sentio, iudices, vos pro veſtra humanitate &c.*

Quæ obſeruanda ſunt in narrat. Cum res grauius narranda eſt, adhibetur aliquando præuia explicatio conſequentium.

In narratione circuſtantiarum res diſtinguntur, & pro argumenti natura diuerſimodè tractantur. Vide locum ab adiunctis.

Quæ narrationem illuſtrāt. Hæc ſolent narrationem illuſtrare.

1. Si multa verba infiniti modi ſubaudito alio verbo, à quo rigi poſſint, inter ſe componantur, *Vt ego mirari, ille clamare* &c. (ſupplœcebit.)

2. Si phraſis conciſa ſit, & in tempore præſenti vſurpetur.

3. Si plures ſententiæ ſine coniunctione congeranutr. Vt, *incenſus ille cupiditate contendit à Pythio vt villam venderet, grauatè ille primo quid multa? impetrat enim homo cupidus & locuples, Pythius voluit,* &c.

4. Si plura eiuſdem temporis in diuerſis ſententijs ſimul componantur. Vt, *conuocabat Tribus, ſe interponebat, Coloniam nouam, delectum perditiſſimorum, quanto plura ille, & tantò hic*

hic magis in die conualeſcebat.

5. Si interſerantur hæ voces, *ait inquit, tum* &c Vel aliquæ minùs vtiles. Vt, *vnus dies, alter plures* &c.

Art. 2. De Figuris Narrationis.

IN narratione hac potiſſimum vſurpantur figuræ.

1. Hypotypoſis, vt verr. 6. numer. 161. *Cadebatur virgis in medio foro Meſſanæ Ciuis Romanus, iudices, cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtus miſeri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, niſi hae ſe commemoratione ciuitatis omnia verbera expulſurum cruciatumque à corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modò hoc non perficit, vt virgarum vim non deprecaretur, ſed cum imploraret ſæpiùs, vſurparetque nomen ciuitatis, crux, crux, inquàm, infelici & ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparatur, ò nomen dulce liberatis! Ouius eximium noſtræ ciuitatis! ò Lex Porcia legeſq; Semproniæ! ò grauiter deſiderata & aliquando reddita Plebi Romanæ Tribunitia poteſtas.* Hypotypoſes narrationis.

2. Suſpenſio. Vt verrina 6. num. 10. *Quid deinde, quid cenſetis? furtum fortaſſe aut prædam expectatis aliquam?* Suſpenſio narrationis.

quam: nolite vsquequaque eadem quære: in emetu belli, furandi quis locus poteftne? etiamsi quæ fuit in hac re occasio prætermissa est.

3. Ethopœia.

Etopæia. Exclamatio admiratio.

4 Exclamatio, & Admiratio: sed vtraque adhiberi solet post Narrationem rei alicuius extraordinariæ, siue in laudem, siue in vituperium, vel vt affectus expromatur. Pro Cluentatio, numer. 15. *ò mulieris scelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum! ò libidinem effrenatam & indomitam! ò audaciam singularem! non timuisse si minùs vim Deorum hominumque famam: at illam ipsam noctem facesque illas nuptiales, non limen cubiculi, non cubile filiæ, non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum! perfegit ac prostrauit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Epiplexis seu interrogatio.

5. Epiplexis seu interrogatio. Exemplum sit Verrina 6. num. 162. *Si te illius acerba interrogatio & vox miserabilis non inhibebat, nè ciuium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu & gemitu maximo commoueberet in crucem tu agere ausu es quemquam, qui se Ciuem Romanum esse diceret? Nolui tam vehementer agere hac prima actione, iudices, nolui.*

Alte-

Alterum sit Exemplum in Catilinam *Patere tua consilia non sentis? constrictam iam omnium horum conscientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proxima quid superiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* Communicatio.

Denique communicatio, multumque valet ad amplificationem Narrationis, & ad consilium aduersarii aperiendum: Exemplum sit verrina 6. num. 165. *Si tu apud Persas aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere quid aliud clamitares, nisi te ciuem esse Romanum? & si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque in vltimis Gentibus positos, nobile & illustre apud omnes nomen tuæ ciuitatis profuisset: ille quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum ciuem se Romanũ esse diceret, apud te Prætorem non effugium, nè moram quidem mortis, mentione atque vsurpatione ciuitatis assequi potuit.*

Alterum sit exemplum pro Cluentio, num. 53. *Si de prædijs tuis ageretur* &c. Vide loco Cicerone?

In Narratione reperiuntur etiam nonnulli motus, prout postulat argumentum, Motus narrationis.

tum, Idque fit, si orationis stylus accommodatus sit motui, qui excitandus est. Hi autem motus plerumque sunt lenes & moderati: vt res tamen exaggeretur, nonnunquam animi perturbatio in narratione simulatur. Exemplum sit pro Roscio Amerino num 24. *Hunc miserum Lucum perditum qui nondum etiam paterno funeri iusta solnisse, nudum eijcit domo, atque focis Patrijs. Dijsque penatibus præcipitem, iudices, exturbat. Ipse amplissimæ pecuniæ fit dominus, qui in sua re fuisset egentissimus. Erat, vt fit, insolens, illa aliena multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio remouebat, non pauca suis auditoribus largè effuseque donabat, reliqua constituta auctione venebat* &c.

Art. 3. De virtutibus Narrationis.

Narrat. virtutes.

QVatuor sunt virtutes narrationis.
1. Probabilitas.
2. Breuitas.
3. Suauitas.
4. Denique perspicuitas.

Probabilitas.

Probabilitas conciliabitur orationi.

1. Si nihil contra decorum deferatur, & si quæ dicuntur, personæ vel rebus conueniant.

2. Si

2. Si narratio sit simplex, & fucata non videatur.
3. Si personæ, vel rei circunstantiæ conuenientes explicentur.
4. Si nomen natura, victus, fortuna, habitus, affectiones, studia, facta, casus, sermones, & cætera eiusmodi cum oratione quadrent.
5. Si nihil afferatur quod abhorreat ab hominum sensu.
6 Si expeditè res narretur,
7. Si Orator habeatur vir probus.
8. Si Orator verbis proprijs, non tamen sordidis vtatur.

Denique si loca, tempora, causæ, & reliquæ circunstantiæ ordine suo & clarè exponantur. Exempla sint.

Pro Milone num. 25. *Vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum inimicissimum suum certissimum consulem: idque intellexit, non solum sermonibus, sed etiam suffragijs Populi Rom. sæpè esse declaratum palam agere cæpit, & apertè dicere occidendum Milonem.*

Ibidem num. 57. *Cur igitur victus est? quia non semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius tamen mulier inciderat in viros.*

Pro Quinctio num, 11, *Caius Quin-*

ctius

stius fuit Publij Quinctijs huius frater, sane cæterarum rerum Paterfamilias, & prudens & attentus, vna in re paulò minus consideratus, qui societatem cum sexto Nauio fecerit, viro bono, verumtamen nouitatis ſtituto, vt iura societatis, & officia certi Patris familias nosse posset, non quod ei deesset ingenium &c.

Pro Archia Poeta num. 4. *Nam vt primum ex pueris excessit Archias, atque ab his artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit primùm Antiochia: nam ibi natus est loco nobili & celebri quondam vrbe & copiosa, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studijs affluenti celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit.*

Pro Roscio Amerino num. 28. *Ab his verbis reliquit annum suum &c.*

Pro Milone, numer. 45. *Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? Te, Qu. Petilli, appello, optimum & fortissimum Ciuem: Te, Marce Cato testor, quos mihi diuina quadam sors dedit iudices: vos ex Marco Fauonio audistis Clodium sibi dixisse, & audistis, viuo Clodio periturum Milonem: triduo post diem tertium gesta res est, quàm dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire*

quid

quid cogitaret, vos potestis dubitare quid feceret.

Pro Roscio Amerino, numer. 39. *Patrem occidit Roscius, qui homo? adolescentulus; corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta: vetus videlicet sicarius, homo audax & sępe in cœde versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum & æris alieni magnitudo, & indomita animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? De luxuria purgauit Erutius, cum dixit hunc, nè in conuiuio quidem vllo ferè interfuisse, nihil vnquam debuit: cupiditates porrò quæ possunt esse in eo, qui vt ipse accusator obiecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta.*

Pro Milone, num. 54. *Videamus nunc id quod caput est, locus ad insidias ille ipse vbi congressi sunt, vtri tandem fuerit aptior. Id verò iudices etiam dubitandum, & diutiùs cogitandum est. Ante fundum Clodij, quo in fundo propter insanas illas sustructiones facilè mille hominum versabatur valentum atquo excelso loco superiorem se fores putabat &c.*

Pro Flacco, num. 21. Non *est igitur illa*

illa expectatio quæ versari in iudicijs solet? Nam antea cum dixerat accusator acriter, & vehementer cumque defensor suppliciter demissoque responderat, tertius ille erat expectatus locus testium, qui aut sine vllo studio dicebant, aut cum dissimilitudine alicuius cupiditatis.

Breuitas narrationi conciliatur.

1. Si non sit manca, nec concisa nimis, aut intricata & obscura, nihil tamen superfluum contineat

2. Si adhibeatur aliqua diuisio, & partitio.

3. Si inducantur aliqui interlocutores.

4. Denique si nonnullæ interponantur interrogationes quæ sermonem amputent. Pariter si excusatio adhibeatur longioris sermonis. Hæc passim apud Ciceronem.

Suauitatem habet narratio.

1. Si non eodem tenore decurrat, sed modo breuiori stylo, modo prolixiori.

2. Si figuris illustretur, si colloquijs suspensionibus, & alijs Rhetoricæ ornamentis.

3. Si magna, noua, & inaudita dicantur.

4. Si rerum inopinati euentus afferantur.

5. Si mores hominum & affectiones exprimantur.

6. Si

6. Si breues addantur Epilogi.
7. Si festiua sit narratio.
Denique si interponatur historia.

Exempla sint Philipp. 4. num. 3. *Cæsar adolescens, penè potiùs puer incredibili ac diuina quadam mente atque virtute, tum cùm maximè furor arderet Antonij, cumq; ille à Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis: quia fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum inuicto genere veteranorum Militum comparauit, patrimoniumque suum effudit, quamquam non sumus vsi eo verbo quo decuti, non enim effudit, sed in salute Reipublicæ collocauit.*

Verrina 3. nume 66. Ab his verbis *inuitantur, maturè veniunt &c.* Philipp. 13. num. 3. ab his verbis. *Hoc verò quid est? cum Antonijs pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebelio, Bestia, Nucula, Numatio, Lentone, Saxa? Exempli causa paucos nominaui, genus infinitum immanitatemq; ipsi cernitis reliquorum Addite ille naufragia Cæsaris amicorum, Barbas, Cassios Barbatios, Polliones, Addite Antonij collusores &c.*

Postremo perspicuitas est in oratione, quando verba propria sunt & vsitata, nec perturbato ordine inter se cōposita. Perspicuitas narrat.

I Hinc

Hinc colligimus vitia narrationis: nempè si alia, quàm quæ dicta sunt hactenus in narratione reperiantur.

Narrationes solet concludi epiphonematis, de quibus infra in Elocutione.

Post narrationem nonnunquam fiunt disgressiones, Hoc est, excurrimus in ea, quæ nobis prodesse possunt, antequam pergamus ad confirmationem vel confutationem.

Digressio autem est non tam par orationis, quam quoddam orationis lumen & ornamentum (de hac inferiùs) Cauendum tamen est nè intempestiuè fiat, & nè excurramus in rem, quæ nostræ causæ non conueniat nec ad eius vtilitatem pertineat.

Art. 4. Artificium Componendæ Narrationis.

PRimo Rerum ac temporum ordo seruandus est.

2. Non sunt intermiscendæ digressiones importunæ.

4. Vtendum est verbis vsitatis, & claris.

5. Quæ narrantur, debent probabiliter conuenire naturæ rei, personis, temporibus, & locis.

6 Cuiusque facti, & euenti causa proferri debet, & probari vel ab affectu, vel ab alio quo vis Rhetorico loco.

7. Vt

7. Vt sit breuis nihil afferri debet, quod sit extra rem; nec altiùs repetenda est, nec vltra progredi debet quàm par est.
8. Singula, & minutissima quęque non sunt explicanda.
9. Tantum afferenda sunt, quæ ad causam nostram faciunt, nec sine damno possunt prætermitti.

Vt breuiter dicam expendæ, nu. 1. quæ rem præcesserunt, 2. quæ rem comitata sunt, 3. quæ rem consequuta sunt.

CAPVT III.

De Contentione.

Contentio ex tribus constat, ex propositione, confirmatione & confutatione: quare sit.

Art. 1. De propositione in genere.

Propositio est breuis status, & summę totius causæ comprehensio, Habetque duas partes, seiunctionem scilicet, & distributionem. Propositio.

Seiunctio est oratio breuis declarans, quid cum aduersarijs conueniat, quid in controuersia relinquatur. Seiunctio.

Distributio est oratio proponens quibus de rebus dicturi sumus. Distributio.

Item eſt explicatio ordinis, quem ſc. qui volumus per totam orationem,

Vtraque debet eſſe, 1. breuis, 2. Abſoluta, 3. non multiplex, 4. clara.

Propoſitiones virtutes.

Breuis eſt, ſi nihil ſuperfluum interſeratur.

Abſoluta eſt, quando enumerantur omnia, quæ ad cauſam pertinent.

Non multiplex, ſi nec ſpecies cum genere, nec pars cum toto, nec effectus cum cauſa permiſcentur.

Denique clara eſt, ſi verbis proprijs vtamur.

Præterea, vtraque propoſitio non minuta quæque debet complecti, nec ferè pluſquam tria capita.

Exempla ſint pro Muræna, numer. 12. *Intelligo, iudices, tres accuſationis partes fuiſſe, & earum vnam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam &c.*

Philipp. numer. 24. ab his verbis; *Quid ego eni ab illo diſtrahere conarer, ſtulti erat ſperare, ſuadere impudentis, &c.*

Philipp. 7. nu. 79. *Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt, Quæ tria dum explico, peto à vobis &c.*

Pro Quintio, numer. 3. *Nego fuiſſe cauſam cur poſtularet, nego ex Edicto poſſidere*

ſidere

ſidere potuiſſe, nego poſſediſſe. Hac tria cum docuero, perorabo &c.

Pro Roſcio numer.35. *Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtante hoc tempore Sexto Roſcio, crimen aduerſariorum, audacia; potentia. Criminis confictionem accuſator Eruſcius ſuſcepit. Audaciæ partes Roſcij ſibi propoſuerunt. Chryſago autem is qui plurimum poteſt, potentia pugnat. De hiſce hominibus me dicere oportere intelligo.*

Art. 2. De Propoſitione in particulari, ſeu de ſtatu cauſæ.

Status definitio.

STatus dicitur à ſtando quia eſt id in quo orator inſiſtit.

Status autem eſt *conſtitutio*, vel *quæſtio*, vel *quod eſt in quæſtione*: vel denique (quod clariùs, & verius eſt) *caput eſt cauſæ ad quod referuntur cætera omnia*; Eſtque veluti primus cauſæ congreſſus, V.g. Ex hac duplici contentione, *Paulus occidit Ioannem, Paulus non occidit Ioannem*; oritur id quod vocatur *ſtatus cauſæ*, nempe *an Paulus occiderit Ioannem*. Idem obſeruari debet in omnia alia quæſtione.

Vt clariùs dicam, ſtatus, eſt illa tantùm quæſtio, de qua iudici ferenda eſt ſententia.

In eadem causa possunt esse, vel plures status, vel vnus tantùm prout quæstiones, & contentiones multiplicantur.

Statu triplex. Status triplex est, nempè *Coniecturalis, definitiuus & qualitatiuus*.

Coniecturalis. Coniecturalis status, pertinet ad quæstionem facti, nempe *an res facta sit.*

Definitus. Definitiuus spectat ad nominis v.g. *an largitio pecuniæ sit ambitus*.

Qualitatiuus. Denique qualitatiuus pertinet ad quæstionem qualitatis, scilicet *an homicidium factum, sit iure an iniuria factum*.

Ad coniecturam voluntas & facultas. Coniecturalis complectitur tempus præteritum, *an res facta sit*: tempus præsens, *an bono animo restat*: Postremò tempus futurum, *an res sit facienda*.

Coniectura firmatur *voluntate & facultate rei faciendæ*.

Probatio voluntatis. Volunta probatur, *impulsione* hoc est explicatione affectuum qui ad rem faciendam impulerunt. v.g. *ira, odij, amoris &c.*

Facultatis probatio. Hæc ratiocinatio stabilitur expositione *lucri & commodi*.

Facultas comprobatur *signis*, & *rei circustantijs*. De his singulis suo loco in locis extrinsecis.

Definitiuus status maximè nititur definitione.

Qua-

Qualitatiuus duplex eſt, Iudicialis, & negotialis. Qualitatiuus ſtatus duplex.

In Iudiciali quæritur quid ius poſtulet in hoc vel illo facto.

In negotiali requiritur quid Conſtitutio Ciuilis, & conſuetudo perſcribant.

Iudicialis duplex eſt, abſolutus, & aſſumptiuus. Iudicialis ſtatus duplex.

Abſolutus factum abſolute defendit, vel damnat. Aſſumptiui ſtatus rationes.

Aſſumptiuus abſolutè factum non defendit, ſed poſitis talibus adiunctis. v.g. *Non licet hominem occidere*, orator fatetur: quod autem parauerit inſidias, negat. Aſſumptiuus continet vel conceſſionem criminis, ſed veniam poſtulat, excuſatque voluntatem, & imprudentiæ aut caſui aut neceſſitati tribuit; Vel continet criminis remotionem; vel relatione criminis, reiecta illius cauſa in alium à quo vel laceſſitus vel coactus crimen quis admiſerit; Vel denique comparationem, demonſtrando ex duobus criminibus alterutrum neceſſarium fuiſſe, quod autem factum eſt, id minus eſſe.

CAPVT IV.

De Confirmatione,

Art. 1. De Confirmatione.

Confirmatio definitio.

CONfirmatio, est pars contentionis in qua rem à nobis propositam confirmamus, estque probatio rei à nobis propositæ.

Ordo confirmationis.

Hæc autem Confirmatio posita est in ordine legitimo argumentorum, quibus causæ nostræ fidem, authoritatem & firmamentum adiungimus.

De hoc ordinem dictum est in vsu Locorum Rhetoricæ.

Hic vniuersim addi potest quòd priore loco firmiora arguměta collocanda sint; Item & in fine: Quæ verò sunt imbeciliora, in medio constituenda. Quod enim prius est altiùs in animum imprimitur & maiorem sibi fidem facit.

Art. 2. De Confutatione.

Confutationis definitio.

COnfutatio, est pars contentionis, in qua quæ ab aduersarijs allata sunt dissoluimus.

Ordo confutationis.

Ordo tenendus in confirmatione contrarius est ei, quem in confirmatione obseruamus.

Primo enim & vltimo loco in firmissima aduersarij argumenta collocanda sunt,

ſunt, in medio potentiſſima, & quaſi confuſis ac turbatis ordinibus.

Nonnumquam tantùm refutamus aduerſarium.

Aliquando, poſtquàm confirmauimus propoſitionem noſtram, pergimus ad confutationem.

Denique priùs aliquando aduerſarium cofutamus, deinde cauſam noſtram confirmamus. Hęc obſeruatio & ingenio noſtro, & cauſæ accommodari debet.

Vt autem faciliùs aduerſarium confutemus, obſeruandum eſt hæc requiri poſſe.

Variæ rationes confutationis.

1. Vt omninò rem allatam ab aduerſario negemus.

2. Vt ſi rem non poſſimus negare ſaltem redarguamus, & oſtendamus eſſe dubiam. 1.

3. Vt probemus factum aut dictum 2.
aduerſarij pugnare moribus vitæ, aut 3.
cuilibet alteri conditioni, quam defendimus.

Exemplum ſit pro Roſcio, num. 39. *Patrem occidit Sextus Roſcius, qui homo? adoleſcentulus, corruptus, & ab hominibus nequam inductus, annos natus magis quadraginta, vetus ſcilicet ſicarius homo audax & ſæpe in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore nè dici quidem audiſtis. Luxuries igitur*

hominem nimirum & æris alieni magnitudo, & indomiti animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? De luxuria Erucius, cum dixit hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuisse. Nihil autem vnquam debuit. Cupiditates porrò quæ possunt esse in eo qui (vt ipse accusator obiecit) ruri semper habitarit & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta? quę res igitur tantum istum furorem Sex Roscio obiecit? Patri inquit, non placebat; patri non placebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoque iustam & magnam & perspicuam fuisse; nam vt illud incredibile est, mortem oblatam esse patri à filio sine plurimis, & maximis causis, sic hoc verisimile nō est, odio fuisse parenti filium sine causis multis magnis & necessarijs. Rursus igitur eodem reuertamur, & quęramus, quę tan tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri displiceret: at perspicuum est nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At his quidem fuit omnium constantissimus: ergo illud iam perspicuum profectò est, si neque amens pater, neque perditus filus fuerit, neq; odij causam patri, neque sceleris filio fuisse &c.

4. Vt

4. Vt ostendamus causas adiunctorum, quæ explicata sunt, esse diuersas ab ijs quas aduersarius attulit. Exemplum sit pro Deiotaro, n. 17. *En crimen, en causa cur Regem fugitiuus, Dominum seruus accuset. Ego me hercule, C. Cæsar, initio cum est ad me delata illa causa, Philippum Medicum seruum Regium, qui cum Legatis missus esset, ab ipso adolescente existimaui esse corruptum, hac suspicione sum percursus; Medicum Iudicem subornabit, finget scilicet examen aliquod veneni; etsi à veritate, longè tamen à consuetudine criminandi non multum res abhorrebat.* 4. Ratio Confusionis.

5. Vt probetur à circunstantijs, rem fieri non potuisse, vel non posse: aut contra potuisse. Exemplum sit pro Cœlio num. 55. & num 56. & 58. vbi ostendit Cicero Cœlium non non admisisse crimen de quo accusabatur, ab his verbis, *Hac est innocentiæ defensio*, vide locum in Cicerone. Alterum sit exemplum pro Cluentio, num. 173. *Iam verò illud quàm non probabile quam inusitatum, Iudices quàm nouum in pane datum venenum faciliùs, ne potuit, quam in poculo? Latentiùs potuit, abditum in aliqua parte panis, quàm si totum colliquefactum in potione esset celeriùs potuit comesum, quàm epotum* 5. Ratio.

in venas atque in omnes corporis parte permanare? Faciliùs fallere in pane si esset animaduersum, quàm in poculo, cum ita confusum esset vt secerni nullo modo posset? At repentina morte perijt? quod si esset ita factum, tamen ea res propter multorum eiusmodi mortem, satisfirmam veneni suspicionem non haberet: suspiciosum si esset, suspicio tamen ad alios potiùs quàm ad auitum pertineret.

3. Sit exemplum pro Deiotaro num. 29. *Tua te, inquit, eadem quæ semper, fortuna seruauit, negauisti iam te inspicere velle: quid postea? An Deiotarus re illo tempore non perfecta, continuò dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? at eodem te, cum cœnauisset rediturum dixeras, Itaque fecisti: horam vnam aut duas eodem loco armatos, vt collocati fuerant, retinere magnum fuit. Cum in conuiuio comiter, & iucundò fuisses, tam illuc iuisti, vt dixeras: Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouisti, qualis Attalus in P. Africanum fuit, cui magnificentissima dona, vt scriptum legimus, vsque ad numantiam misit, quæ Africanus, inspectante exercitu accepit. Quod cum præsens Deiotarus Rex & animo & amore fecisset, tu in cubilum discessisij, obsecro, C. Cæsar repete*

te temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intuentium atque admirantium; recordare num quæ trepidatio, num qui vultus, num quid nisi moderatè nisi quietè nisi ex hominis grauissimi, & sanctissimi disciplina.

6. Vt à consequentibus ostendamus grauia multa consecutura fuisse, si admissum fuisset crimen, vel si res fieret. Exēplum sit pro Deiotaro, num. 15. *Vt enim omittam cuius tanti sceleris fuerit in conspectu Deorū necare hospitem; cuius tantæ importunitatis, omnium gentium atq; omnis memoriæ clarissimum lumē extinguere, cuius tantæ ferocitatis, Victorem Orbis Terrarum non extimescere, cuius tam in humani, & ingrati animi à quo Rex appellatus esse, in eum Tyrannum inueniri? vt hæc omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes Reges, quorum finitimi erant isti, omnes liberos populo, omnes socios, omnes Prouincias, omnia denique omnium arma contra se vnum excitare? quo nam ille modo cùm regno cùm domo, cùm coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto sed etiā cogitato? at credo, hæc in consultus homo & temerarius non videbat, quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum*

6. Ratio confutationis.

rum

rum non tam ingenio, & prudentia, quàm fide, & religione vita defendendum puto.

7. Ratio 7. Vt priùs quam rem absolutè negemus, tollamus causam rei, vt id tuto fiat.

8. Ratio confutationis. 8. Vt quæ attulit aduersarius, contemnamus. Exemplum, sit pro Cœlio, num. 61. *Neque verò illud me commouet quod sibi in Lupercis sodalem esse Cœlium, dixit, fera quadam sodalitas & planè posteritia atq; agrestis Germanorum Lupercorum quorum ecitio illa syluestris ante est instituta, quàm humanitas atque leges, si quidem non modò differunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando, vt nè, si quis id fortè nesciat, timere videatur.*

9. Ratio 9. Vt loco communi vtamur; qui rem saltem infirmet, & excuset si negari non possit. Exemplum sit pro Quinctio, num. 10. *Cum adhuc ei propter vim aduersariorum, non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit, cum ei summam per iniuriam omnia inimica atque infesta fuerint Cai Aquili, vosque qui in concilio adestis, orat atq; obsecrat, vt multis iniurijs iactatam atque agitatam æquitatem in hoc tandem loco consistere, & confirmari patiamini.*

10. Vt

10. Vt destruamus sequelam Argumentorum Aduersarij. Exemplum sit pro Cœlio numer. 10. *Nam quod Catilinæ familiaritas obiecta Cælio est, longe ab ista suspicione abhorrere debet, hoc enim adolescente, scitis consulatum meum petisse Catilinam, ad quem si accesis, aut si à me discessit unquam (quanquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerint) tunc existimetur Cælius Catilinæ nimium familiaris fuisse, at enim posteà scimus, & vidimus, esse hunc illius amicum: quis negat; sed ego illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendendo; fuit assiduus mecum, prætore me, non nouerat Catilinam.* 10. Ratio.

11. Vt cum res clara est, eam alijs detorqueamus, & in alios reijciamus. Exemplum sit pro Sextio, num. 84. *Homines, iniquit emisti, cægisti, parasti, quid vti faceret? senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret; bona diriperet? ædes intenderet? tecta disturbaret? templa Deorum immortalium inflammaret? Tribunos plebis ferro e Rostris expelleret? Prouincias quas vellet quibus vellet, venderet, Reges appellaret? rerum capitalium condemnatos, in liberas ciuitates per Legatos nostros reduce-* 11. Ratio confutationis.

duceret Principem Ciuitatis ferro obsessum teneret? hæc vt efficere posset, quæ fieri, nisi armis oppressa Republica nullo modo poterant, idcirco manum sibi P. Sextius, & copias comparauit.

12. Ratio. 12. Vt aduersariorum argumenta in ipsos conuertamus. Exemplum sit pro Sextio numer. 47. *An mihi ipsi, vt quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortem ne fugiebam? an erat res vlla quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas, res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exilium ob oculos versabantur? non hæc denique à me tum, tanquam fata, in ipsa regerenda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disiunctione, tante acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam consilij expers & ingenij; nihil audieram; nihil videram, nihil ipse legendo quærendoque cognoueram? nesciebam vitæ breuem esse cursum, gloriam sempiternam; cum esset omnibus definita mors, optandum esse, vt vita, quæ necessitati deberetur, patriæ potiùs donata, quàm seruata naturæ videretur? nesciebam inter sapientissimos hominnes hunc*

hunc contentionem fuisse, vt alij dicerent, animos hominum sensusque morte restingui, alij autem, tum maximè mentes sapientum ac fortium virorum cum è corpore excessissent, sentire rauigere; quorum alterum fugiendum non esset, carere sensu; alterum etiam optandum, meliore esse sensu?

13. Vt crimẽ in aduersarium retorqueatur allatis, probabilioribus argumentis, quàm quæ ab ipso allata sint. 13. Ratio confutationis.

14. Vt cum crimen negari non potest, vtamus compensatione, allatis virtutibus oppositis crimini, & ijsdem affirmatis de illo quem defendimus. 14. Ratio.

15. Vt contra aduersarium ostendatur rem obiectam aliquando factam esse, nec vitio datam esse. Exemplum sit pro Rabirerio, numer. 23. *Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo Patruo prædicas, neminem adhuc vnquam de se esse confessum; nemo est unquam inuentus tam profligatus, tam ab omni non modò honestate, sed etiam simulatione honestatu relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur, At fuit vester patruus, fuerit, & fuerit nulla desperatione rerum suarum, nullis domesticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, vt amicitiam Patriæ præponeret; idcirco ne oportuit C. Rabirium* 15. Rat.

birium desciscere à Republica; non comparere in illa armata multitudine bonorum; consulum voci atque imperio non obedire; Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat instar turpissimæ; cum Saturnino esse, furoris, & sceleris virtus, & honestas, & pudor cum consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum ijs fuerit C. Rabirius, quos, amentissimus fuisset, si oppugnasset, turpissimus si reliquisset &c.

16. Ratio confutationis.

16. Vt quod crimini ab aduersario vertitur, virtuti dandum esse ostendatur. Exemplum sit pro Milone, numer. 84. *Quamobrem vteretur eadem confessione Titus Annius, qua Hala, qua Nasica, qua Opimus, qua Marius, qua Nosmet ipsi; & si grata responsio esset, lætaretur; si ingrata, tamen in graui fortuna conscientia tua niteretur. Sed huius beneficij gratiam Iudices, fortuna Populi Romani, & vestra felicitas, & Dij immortales sibi deberi putant, Nec verò quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim cœlestem existimat numenque Diuinum, quem neque imperij vestri magnitudo, neque sol ille, nec cœli, signorumque motus, nec vicissitudines*

rerum

rerum atque ordines mouent, neque (id quod maximum est) Maiorum sapientia, quia sacra, qui ceremonias qui auspicia & ipsi sanctisiisime coluerunt & nobis suis posteris prodiderunt.

17. Vt quia crimen negare non possumus, aut dissimulemus eo prætermisso, aut aliud obiectum ab aduersario confingamus. Exemplum sit pro Deiotaro, num. 25. *At eo tempore ipso Nicæam Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad se referrent. Itaq; cùm esset ei nunciatum Domitium naufragio periisse, te in Castello circumsideri, domitio dixi versum Græcum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum, Pereant amici, dum una inimici intercidant, Quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset: ipse enim mansuetus, versus immanis. Cui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porrò inimicus, cur eset, à quo cum vel interfici belli lege potuisset, Regem, & se filium suum constitutos ese meminisset.* 17. Ratio confutationis.

18. Vt, quando res negari non potest, proferamus aliam causam, quàm, quæ allata sit ab aduersario. 18. Ratio

19. Vt fatendo crimen esse factum, petamus, vt precibus amicorum, vel ipsius personæ accusatę meritis & officijs venia 19. Ratio

con-

concedatur. Res tamen desperata esse debet. Exemplum sit pro Ligario, num. 36. *Sed ierit ad bellum, dissenserit non à te solùm, verum etiam à fratribus hitc orant tui. Equidem cùm tuis omnibus negotijs interessem, memoria teneo qualis D. Ligarius Quæstor Vrbanus fuerit erga te, & dignitatem tuam. Sed parum est, me hoc meminisse, spero etiam te, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenij tui te aliquid de huius. Quæstoris officio cogitantem, etiam de alijs quibusdam Quæstoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud, neque enim hæc diuinabat, nisi vt tu eum studiosum, & bonum virum iudicares, nunc à te supplex fratris salutem petit &c.*

20. Ratio confutationes. 20. Vt, quando nobis timemus à re obiecta, aliò deducamus auditorem vel iudicem, pollicendo nos plura dicturos esse de ijs quæ obiecta sunt, & ita sensim Auditoris animum vel iudicis aliò traducamus.

21. Ratio. 21. Vt aduersario confidenter imponamus silentium, quòd fit, allato exemplo eiusdem facti in aliqua illustri persona. Exemplum sit pro Milone numer. 7. *Negant intueri lucem esse fas ei, qui à se hominem occisum esse fateatur: In*

qua

qua tandem Vrbe hoc hominum stultissimi disputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortissimi viri, qui nondum libera ciuitate tamen Populi Rom. comitijs liberatus est, cùm sua manu sororem interfectam esse fateretur.

22. Vt aduersarij propositionem ita cõcedamus, vt eum solum in obiecto crimine versatum ostendamus. Vide orat. pro Cluentio ab his verbis. *Quid? negasne illud iudicium esse corruptum? non; sed ab hoc corruptum non esse confirmo.* 22. Ratio.

23. Vt cum aliquid factum esse aut fieri potuisse honestè, negare non possumus vtilitatem honestati opponamus. 23. Ratio confutationes.

24. Vt cum aliquid soluere non possumus, id non tam ad causam pertinere asseramus, quàm id quod ab aduersario verisimiliter dici non posset; aut si diceretur, facilè solui posset. Vide orat, pro Roscio. 24. Ratio. 25. Vt quod verisimile est, ita causa ficta vel verisimiliter verà v.g. propter infamiam personæ, rumorem aliquem sparsum per vulgus, conceptam suspicionem, cognitum rerum euentum non verisimile esse ostendatur, fidesque omnis tollatur. Exemplum, sit pro Milone.

26. Vt totum id quod obiectũ est ab aduersario, in minutiores partes diuidamus, & vnamquamq; partem debilitemus. 26. Ratio

27. Vt obiectiones aduersariorum,

ita

ita ſoluamus, vt eas tamen non profe-
27. Ratio. ramus.

28. Ratio. 28. Vt aduerſarium vtiliter, & beneuolè ſic admoneamus, vt illum nobis conciliemus.

29. Ratio. 29. Vt quæ faciliora ſunt, nullo ordine diſſoluamus.

30. Ratio confutationis. 30. Vt multitudine rerum auditores vel iudices ſic obruamus, vt obiectionis allatæ ab aduerſario ampliùs non recordentur.

31. Ratio. 31. Vt, non reprehendamus obiectionem aduerſarij, ſed illius intentionem improbemus v. g. oſtendendo non veri inquirendi cauſa, ſed ex inuidia, aut malitia crimen obieciſſe.

32. Ratio. 32. Vt aduerſario legem vrgente nos legislatoris mentem retineamus.

33. Ratio. 33. Vt vtrinque prolatis teſtimonijs aduerſariorum teſtimonia deprimamus, noſtra extollamus.

34. Ratio confutationis. 34. Denique vt argumento, quod vocant ad hominem, hoc eſt, quod ex ipſis verbis et ratiocinatione aduerſarij ducitur, eundem illum, vt ita dicam, Iugulemus.

Art. 3. De Figuris Confutationis.

Figuræ confutationis. IN Confutatione hæ potiſſimum adhiberi ſolent figuræ.

Hypotypoſis.

Ser-



Sermocinatio,
Exclamatio.
Subiectio.
Interrogatio.
Indignatio, et cæteræ, quibus vis & ardor augeatur. Vide has figuras suis locis lib. 4. de Elocutione.

Legatur pro Quinctio numerus 38. *Moritur C. Quinctius, qui tibi, vt ais, certi nominibus grandem pecuniam cuniam debuit. Hæres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipsum venit in agrum communem, eò denique vbi non modò res erat, sed ratio quoque omnis, & & omnes literæ, Quis tam dissolutus familiari fuisset, quis tam negligens, qui tam tui, Sexte, dissimilis, qui cum res ab eo, qui cum contraxisset, recessisset, & ad hæredem peruenisset, non hæredem cum primum vidisset, certiorem, faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes aues summo iure experiretur? Ita ne est Quod viri optimi faciunt, si qui suos propinquos ac necessarios, caros & honestos esse atque haberi volunt; id Sext. Næuius non faceret, qui vsque eò feruet ferueturque auaritia, vt de suis commodis nolit aliquam partem amittere, vt aliquam partem huic propinquo suo vllius ornamenti relinquat: Et is pecuniam, si*

qua

qua deberetur, non peteret, qui, quia quod debitum nunquam est, id datum nō est, non pecuniam modò, verum etiam hominis propinqui sanguinem vitamq; eripere conatur; huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare liberè non sinis, quem nunc interficere nefariè cupis, eum tum pudenter appellare nollebas. Ita credo, hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, prudentem, maiorem natu nolebas, aut nolebas, aut non audebas appellare,

Art.4. De Digressione.

Causæ digressionis.

IN oratione digreditur aliquando p[...] vtile est et necessarium, nec tantu[...] in confirmatione, aut confutatione[...] sed etiam in narratione, vt ant[...] dictum est præterea etiam in rebus vn[...]uersis, & singulis, modo digressio [...] apposita, nec ab ostentatione sola pro[...]ciscatur.

Digressionis definitio.

Digressio autem delectum habere d[...]bet, & iudicium. Estque alienæ rei, s[...] ad vtilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.

Art

Art. 5. Artificium Contentionis.

Contentio cum tres partes habeat, ſcilicet diuiſionem, confirmationem, & confutationem;

Omittitur aliquando diuiſio: eſt autem neceſſaria cum orator debet oſtendere, quid ſit in controuerſia, vel quæ ipſi cum aduerſario conueniant, aut diſſentiant, vtque facilius intelligatur, quot de rebus dicturus ſit. Cauſæ diuiſionis.

Diuiſio fit 1. per ſeiunctionem, proponitq;ea quæ ſunt communia, & ſeiungit, quæ ſunt in controuerſia. Diuiſionis modus duplex.

2. Per diſtributionem exponit res ſine vlla enumeratione, eaſdemque poſtea prudenter enumerat. Vide diuiſionem orationis pro Milone num. 7. Eius expoſitionem num. 30.

Sequitur confirmatio, quæ, vt probat id quod eſt in cauſa, ita vtitur locis à cauſis, ab euentis & adiunctis, item & aſſumptis locis à teſtimonij, teſtibus, tabulis, iureiurando &c. Poſt diuiſionē, & expoſitionē.

Locis à cauſis probat *in accuſatione* voluntatem, & facultatem adfuiſſe hoc modo *voluit & potuit, ergo fecit. In defenſione* nec voluntatem nec facultatem adfuiſſe, hoc ſimiliter modo, *nec voluit, nec potuit, ergo non fecit.* Voluntas & facultas.

Voluntas colligi poteſt ex tribus, 1.

K Ex Volun-

tas ex 3. capitibus.

Ex vtilitate rei, 2. Ex aliqua perturbatione animi, quæ nota fuerit v. g. ex odio, ex voluptate, ex timore &c. 3. Ex conuenientia cum moribus & consuetudine ipsius personæ.

Facultas ex 4. capitibus.

Facultas colligitur ex quatuor capitibus, 1. Ex spe rei faciendæ, 2 Ex spe impunitatis, 3. Ex contemptu pœnæ leuioris, 4. Ex maiore voluptate credita in facinore, quàm pœna sit, quæ opponatur.

Adiuncta triplicis generis.

Adiuncta sunt vel antecedentia rem, vel concomitantia, vel consequentia, de his tractandis consule librum primum de inuentione. Lege confirmationem orationis pro Mil. vbi Cicero probat à causis, & euentis *Clodium fuisse insidiatorem*, non Milonem.

Confutatio duplex Impropriè dicta cõfutatio.

Confutatio denique duplex esse potest: ita enim defensor confirmat reum non esse eum quem defendit, vt tunc confirmatio sit confutatio aduersarij: quare altera confutatio, & defensio & simul confirmatio est. Quia probat alterum esse reum, non verò eum pro quo agit: altera est propriè dicta confutatio, estque argumentorum aduersarij, vel refutatio, vel infirmatio. vel dilutio, vel reprehensio, vel negatio, vel obiecti criminis per aliud oppositum non minoris ponderis ac meriti compensatio.

Quæ

Quæ leuissima sunt aduersariorum argumenta initio clarè sunt diluenda, vt cætera pari, facilitate diluenda videri possint. Quæ fortissima sunt, & perspicua vel irridenda sunt, vel pluribus conglobatis rationibus, & argumentis obruenda sunt, vel compensanda, vel obscurioribus verbis, & ambagibus digressionum infuscanda, vel dissimulanda, vel motibus varijs obscuranda, si desunt opponendæ rationes. Consule confutationem orationis pro Mil. Collocatio argumentorum.

CAPVT V.

Art. 1. De Perorationis Partibus.

PEroratio est vltima pars orationis, vel eius est terminus, seu, exitus vel, conclusio. Perorationsi. definitio.

Perorationis tres sunt partes, Enumeratio, indignatio, & conquestio.

Enumeratio est pars perorationis, in qua ferè res omnes dictæ simul congeruntur. Perorationis. Enumeratio.

Hęc enumeratio varios habet modos, quos poteris colligere ex articulo de perorationis muneribus.

Indignatio est pars perorationis, in qua concitatur odium in aduersarios. Indignatio.

De hac indignatione vide in motibus.

Conquestio. Conqueſtio eſt pars perorationis, in qua commiſeratio excitatur. De hac etiam in motibus.

Hic tamen obſerua:

Enumerationis modi. 1. Quòd enumeratio fieri poſſit, vel præcipuis tantùm cauſæ capitibus allatis cùm firmioribus ſuis rationibus; vel retrogrado ordine recenſitis breuiter ijs, quæ in tota ſerie argumentationum diſcuſſa ſunt; Vel omiſſis cauſæ capitibus & prolatis dumtaxat firmioribus rationibus. Quod fieri poterit orationem tribuendo vel perſonæ noſtræ, vel alienæ, vel etiam rei inanimatæ, quæ grauitatis & ponderis plurimùm habeat, idque per proſopopęiam, vel iterum quemadmodum dicetur in articulo ſequente de muneribus exordij.

Indignationis modi & cauſæ. Obſ 2. Quod ad indignationem maximè pertineant, circunſtantiæ propriæ quæſtionis, de qua agitur V.G. rei, perſonæ, loci, temporis, &c. præterea quod declarandum ſit 1. rem eam, quæ in diſceptationem adducta eſt magnæ curæ fuiſſe ijs, quorum authoritas grauiſſima eſſe debet 2. ad omnes vel plures, aut ad ſuperiores, & eos, quorum authoritate indigemus, cauſam extendi 3. multa conſecutura eſſe damna, 4. nullam veniam voluntario crimini concedendam eſſe 5. facinus vulgare non eſſe 6. nunquam

quam esse factitatum, ne ab audacissimis quidem hominibus susceptum. 7. admissum fuisse V.G. contra parentes, liberos, coniuges, suplices, maiores natu, nobiles, bonos, & qui lædere alios nunquam consueuerunt, nec se defendere potuerunt vt sunt pueri, senes, mulieres &c. Nihil denique esse cuius tanta esse atrocitas videatur.

Obs. 3. Quod omnia & singula, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæque illud consecuta sunt, cum exaggeratione ante oculos poni debeant.

Obs. 4. Quod significandum sit iniuriam illatam esse ab ijs, qui nos defendere, ac tutari debuissent.

5. Quod rogandi sint auditores, vel iudices, vt ex rebus suis perpedant calamitates nostras.

6. Quod hæ omnes obseruationes pro argumenti ratione, pro conditione personarum, & loci, temporisque opportunitate vsurpandæ sint, modo hæ, modo illæ, pro vt commodius ac prudentius videbitur.

7. Quod in genere iudiciali, vt indignatio valet cum accusamus, sic conquestio valeat cum defendimus: quanquam etiam aliquando contrarium fieri possit. Conquestionis modi & causæ.

Aduerte. Quòd conquestio maxime sumatur 1. à præceddentibus, hoc est ab incommodis præteritis 2. à concomitan-

tibus statum præsentis fortunæ ; à consequentibus, hoc est à futuris miserijs. Præterea. Quod conquestio tribui possit etiam rebus mutis & rationis expertibus. Quod iudices vel auditores rogari debeant, vt misereantur. Quod significandum sit aliorum miserias, non nostras defleri. Quod aliquando patientiam, animique fortitudinem in præsenti calamitate præ se ferre orator debeat, vel in eo quem defendit, ostendere, vt virtute cognita misericordiæ motus concitetur; Denique quòd inducendæ sint personæ inter se de suis ærumnis colloquentes.

Obs. vltimò quod orator Christianus in fine exhortationis, si suadeat, vbi rei dignitatem & vtilitatem probauit, aculeos adijcere debeat ; Contra verò si dissuadeat, ad odium, & contemptum ac detestationem acriter incitare. Quare obsecrationibus, increpationibus, concitationibus, & alijs similibus vti solet.

Art. 2. De perorationis muneribus.

Perorationis duo sũt munera. Primum

PErorationis munera sunt duo ; primum est, ea, quæ per totam orationem sparsa sunt, quasi in vnum colligere. Exemplum sit pro Quinctio, numer. 86. *Ostendi quàm multa ante fieri conuenerit, quàm hominis propinqui bona possideri postularentur ; præsertim cum Romæ domus eius, vxor, liberi essent, &*

pro-

procurator aquè vtriusque necessarius. Docui cùm desertum esse dicat vadimonium, omninò vadimonium nullum fuisse; quo die hunc sibi promisisse dicat, eo diè nè Romæ quidem eum fuisse, id testibus me pollicitus sum planum facturum qui & sacre deberent, & causam cur mentirentur non haberent. Ex Edicto autem non potuisse bona possideri, demonstraui, &c

Hæc autem repetitio fit, vel conferendo argumenta aduersarij cum nostris argumentis Exemplum sit orat. 3. De lege agraria num. 15 *Et, quoniam, qua causa, & quorum causa ille hec promulgauit, ostendi: doceat ipse num ego quem possessorem defendam, cum Agrariæ Legi resisto. Syluam scantiam vendis, Respub possidet, defendo Campanum agrum diuidis, vos estis in possessione: non cedo. Deinde Italiæ Siciliæ, cæterarumque Prouinciarum possessiones venales ac proscriptas hac lege video: vestra sunt prædica, possessiones: resistam atque repugnabo* Repetitionis modi Primus.

Vel eadem Repetitio fit, enumerando tantùm quæ ab Aduersario dicta sunt. Exemplum sit pro Amerino, num. 145. *Prædica mea tu possides, ego aliena misericordia viuo, concedo, & quod animus æquus est, & quia necesse est: mea domus tibi patet, mihi clausa est, fero:* 2. Modus repetitionis.

familia mea maxima vteris, ego seruũ habeo nullum, patior & ferendũ puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas; qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? vbi tuis commodis officio; quid tibi obsto; &c.

3. Modus, Vel fit Enumeratio per ironiam. Exemplum sit orat. 1. de Lege Agraria, numer 24. *Hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum cum Populo Rom. vox & authoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit, cum ostenderit nihil esse metuendum, nullum exercitum nullam manum, nullas Colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium nouum, nullum Regnum Decemvirale, nullum alteram Romam, neque aliam sedem Imperij nobis consulibus futuram, summamque tranquillitatem pacis atque otij: verendum credo, nobis erit, nè vestra ista præclara Lex Agraria magis popularis esse videatur Cum verò scelera Conciliorum vestrorum, fraudemque legis, insidias quæ ipsi Populo Rom. à popularibus Tribuni pl. fiant, ostendero, pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere.*

4. Modus enumerationis. Vel eadem enumeratio fit per interrogationem. Exemplum sit pro Amerino, num. 152. *An verò Iudices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi vt pro-*

scripto-

scriptorum liberi quauis ratione tollantur & eius rei initium in vestro iureiurando atque in S. Roscij periculo quæri? Dubium est ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex altera parte sectorem inimicum, sicarium, eundemque accusatorem hoc tempore: ex altera parte egentem, orbatum suis filium, in quo non modò culpa nulla, sed nè suspicio quidem potuit consistere. Nunquid hic aliud videtis obstare Roscio nisi quòd patris bona venierunt? &c.

Vel enumeratio fit simplici repetitionem rerum quæ dictæ sunt per orationem. Exemplum sit pro Manilia num. 49. *Quare cùm & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit: ita magnum, vt accuratissimè sit administrandum: & cum ei Imperatorem præficere possit, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima autoritas, egregia fortuna dubitatis, Quirites, quin hoc tantum bonum, quod à Dijs immortalibus oblatum & datum est in Remp. conseruandam atque amplificandam conferatis*

5. Modus repetitionis.

Obseruandum est autem 2. quòd in hac repetitione afferri ea duntaxat debeant, quæ in Auditorum animos, & memoriam altiùs imprimi velimus.

Obser. 2. quòd in peroratione Elegantioribus verbis, & sententiarum varie-

tate opus sit. Dubitatio non parum valet inter cæteras figuras, cum scilicet dubitamus, an aliquid omiserimus.

Figuræ perorationis. Obseru. 3. nonnunquam adhiberi præteritionem, ne omnia repetere velle videamur. Exemplum sit pro Cluentio, num. 188. *Mitto primam illam libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias; mitto cupiditate matris expulsam ex matrimonio filiam, quæ nondum ad huius ce vitæ periculum sed ad commune familiæ dedecus pertinebant. Nihil de alteris Oppianici nuptijs queror; quarum illa, cùm obsides filios ab eo mortuos accepisset, tum denique in familia luctum atque in priuignorum funus nupsit. Præterea quòd Aurium Melinum cuius illa quondam socrus paulè ante uxor fuisset: cùm Oppianici esse opera proscriptum occisumque cognosceret, eam sibi domum sedemque coniugij de legit, in qua quotidie superioris viri mortis indicia & spolia fortunarum videret.*

Repetitionis stylus. Obseru. 4. quòd eadem repetitio fiat quasi membratim, & cœsim Exemplum sit pro Cluentio. num. 200. *Quare, Iudices, si scelus audistis, prohibere aditum matris à filij sanguine; date parenti hunc incredibilem dolorem ex salute ex victoria liberum! patiamini matrem, ne orbata filio, lætetur, victam*

etiam potiùs vestra æquitate discedere. Sin autem, id quod vestra natura postulat, pudorem, bonitatem, virtutemque diligitis, leuate hunc aliquando supplicem vestrum, Iudices, tot annos inuidia periculisque versatum; qui nunc primùm post illam flammam aliorum facto & cupiditate excitatam, spe vestræ æquitatis erigere animum & paulùm respirare à metu cœpit: cui posita sunt in vobis omnia; quem seruatum esse plurimi cupiunt, seruare soli vos potestis. Orat vos habitus, Iudices, & flens obsecrat, nè se inuidiæ, quæ in iudicijs valere non debet; nè matri, cuius vota & preces à vestris mentibus repudiare debetis: ne Oppianico homini nefario, condemnato iam, & mortuo condonetis.

Secundum perorationis munus est motuum excitatio, de quibus suo loco egimus. Hic breuiter motus illos attingo. Secundum munus perorationis.

1. Cum laudamus, *amoris gratulationis, admirationis, & lætitiæ* motus excitandi sunt; Cum vituperamus, *odij, inuidiæ, contemptus, pudoris*.

2. Cum deliberamus de re facienda, *spes* excitanda est, de re non facienda *timor, & periculi metus*. Motus perorationis.

3. Cum accusamus, *odium, inuidiam, indignationem* mouere debemus; cum


defendimus, *amorem & misericordiam*.

Cauendum est tamen nè in rebus leuioribus vehementiores motus concitentur.

Denique peroratio debet esse breuis, ne inflammatus iudex refrigescat, vel aliò animus rapiatur.

Art. 3. Artificium componendæ perorationis.

PEroratio primo per enumerationem, vt ante dictum est præcipua repetit, quod fit etiam post confirmationem, & confutationem, si longiores fuerint. 2. indignationem concitat. 3. per conquestionem Auditores ad misericordiam mouet. 4. Apostrophes subijcit. 5. Rem auditoribus commendat. 6. Eosdem deprecatur &c. Vide quæ prius dicta sunt de conquestione articulo primo huius capitis, & lege perorationem pro Mil.



SE-

SECVNDA PARS

De diuersis causarum generibus.

CAPVT I.

De quæstionibus in genere.

ANtequam singulas orationum species attingamus, breuiter exponendum est quid sit quæstio; & quotuplex.

Quæstio est propositio rei in dubitationem, & ambiguitatem adductæ. Vel, est oratio nihil enunciãs, sed interrogans vnum ex his quatuor, an sit, quid sit, an ita sit, cur ita sit. Quæstionis definitio.

Quæstio autem duplex est, nempe Thesis, & Hypothesis. Quæstio duplex.

Thesis, dicitur quæstio infinita quia est propositio generalis. Qualis est hæc, *virtus est expetenda.* Thesis.

Hypothesis, dicitur, quæstio definita, quia est propositio determinata & alligata ad certas quosdam personas, loca, tempora tempora, & quasuis alias circunstantias. Talis est hæc propositio, *Modestia est appetenda.* Hipothesis.

Vtraque potest diuidi, in quæstionem quæ sit tantum cognitionis, & in quæ-

stionem

stionem quæ sit actionis. Prioris quæstionis finis est, scire: posterioris, est aliquid efficere.

Thesis reducitur ad hypothesim, quãdo, quando, quod vniuersim propositum est, ad res singulares applicatur, hoc modo. *Virtus est amanda, modestia est virtus, igitur modestia est amanda. Bellum gerendum est aduersus hostes patriæ, hæ vel illæ gentes sunt hostes patriæ, igitur bellum gerendum est aduersus illas gentes. Qui furtum admisit puniendus est, hic furtum admisit: ergo puniendus est.*

Quæstiones siue finitæ, siue infinitæ possunt esse.

Coniecturales quæstiones.

1. Vel coniecturales, seu an res sit, an fuerit, an futura sit: an fiat, an facta sit, an facienda sit, V.G. *an futurus sit Antichristus, an mundus fuerit ab æterno, an bellum gerendum sit an pestis oriatur ex corruptione aëris &c.*

Definitiuæ seu qualitatiuæ questiones.

Vel definitiuæ seu qualitatiuæ, hoc an res sit talis: V.G. an cœlum sit incorruptum, an oratoris proprium sit bene dicere an hominis proprium sit ridere: an sit auari perinde mures timere, ac fures: an idem sit currere & volare, an æquum sit discipulum ingratum amare: an honestum sit amicum exibere se ingratum: an idem sit amicus, & assentator, &c.

Vel

Vel sunt finitæ V. G. an orator dicere debeat ex suggestu, vel ex plano; an modestia potior sit diligentia in scholastico &c. Quæstiones finitæ.

Vel sunt iudiciales, hoc est à iudice dirimendæ, V.G. an iustè quis alium occiderit, an iniuria &c. Quæstiones iudiciales.

Hæ autem quæstiones cum pertineant ad triplex genus orationis, Demonstratiuum scilicet, Deliberatiuum, & iudiciale, ideo præmittenda sunt pauca prænoscenda.

1. Demonstratiuum Genus, aliter Epidicticon, non ad pugnam, sed ad pompam institutum est.

2 Deliberatiuum ad Rempublicam optimis consilijs administrandam, & ad prudenter se gerendum in rebus suis, sibique cautè consulendum constitutum est.

Iudiciale, ad vnicuique ius suum tribuendum, & ad pacem, tranquillitatemque publicam & priuatam sustentandam institutum est.



SE-

SECVNDA PARS

CAPVT I.

De Genere Epidictico seu Demonstratiuo.

Generis demonstratiui materia & finis.

GEnus demonstratiuum complectitur rerum omnium laudes, & vituperia. Quare huius generis materia posita est in rebus, quæ laudandæ sunt vel vituperandæ; Finis huius generis demonstratiui est voluptas aliqua, quæ percipitur ex contemplatione obiecti pulchri. Vel est, odium, & molestia præcepta ex consideratione obiecti turpis & deformis Hic autem finis ordinatur ad vlteriorem finem, qui est vel commendatio virtutis, vel detestatio vitij, quæ vtraque ab oratore persuaderi debet.

Art. I. Demonstratiui Generis Fontes.

Laudis & vituperij. vniuersa capita.

CVM persona laudatur aut vituperatur, huius laudis possunt esse fontes, Natura, & Fortuna: natura, corpus, & ani-

& animum complectitur ; fortuna, conditionem, & opes. Corpus, continet bona corporis : animus animi: fortuna, fortunæ. Bona corporis, sunt eius affectiones omnes, puta agilitas, robur, valetudo, pulchritudo, &c. Animi bona, sunt affectiones intellectus, & voluntatis. Affectiones intellectus sunt v. g. prudentia, scientia, ars, intelligentia &c. Affectiones voluntatis, sunt virtutes. Fortunæ bona sunt v.g. diuitiæ, honores gradus, dignitates, fama, laus, gloria, amici. Conditio, complectitur genus, parentes patriam, educationem, natiuitatem, tempus, præcedens natiuitatem, prodigia vaticinia (si quæ fuerint ante natiuitatem) populorum vota, &c. Mala, sunt his opposita.

Art. 1. Accuratior explicatio eorum quæ faciunt ad laudem aut vituperium rerum singularum.

ANntequam explicemus, quæ cuilibet rei competere possunt ad laudem, aut vituperium prænotandum est, 1. laudem fundari debere in veritate, non in blanda quadam, & adulatoria mentiendi dulcedine. Quis enim non arguat oratorem qui deformem vultum laudet tanquam pulchrum ?

2. Cùm

2 Cùm aliquem laudamus, aut vituperamus, ordinem sequi nos posse bonorum, aut malorum quæ per oppositionem colliguntur, prout superiùs à nobis diuisa sunt.

Demõstratiui generis exornationis ratio.

In his autem explicandis & describendis bonis, aut malis, plurimum habent ornamenti Definitiones Conglobatæ. Enumerationes partium, Similitudines. Comparationes, Adiuncta Effecta, Contraria & Sententiæ Antitheses, Isocola, Distributiones, vno verbo, requiritur magna varietas.

Hic obseruandum est nè in singulis exponendis bonis aut malis leniora, & minutiora consectemur.

Art. 3. Laus Dei.

FAteor cum psalte regio silentio potiùs & admiratione: laudari Deum quam ieiunis, & abiectis exornationibus nostris Dicam tamen pro summa illius erga tenuitatem nostram beneuolentia laudari à nobis posse, vel per negationem, vel per affirmationem per negationem, profitendo Deum nihil esse ex his omnibus creatis rebus, vel quæ creari possent, sed infinitos eas interuallo post se relinquere; per affirmationem, illi tribuendo quid quid mangni, quid quid augusti, quidquid ornamenti concipere possu-

possumus, & colligere ex assidua rerum creatarum contemplatione. Ac licet in laudes diuinas amplissimus dicendi campus pateat ex Rhetoricis locis, potissimus tamen locus est à definitionibus conglobatis ita diuus Bernardus, ita diuus Gregorius Nazianzenus, Arnobius, Chrysostomus, & alij sancti Doctores, Ita etiam Seneca Philosophus.

Art. 4. Laus personæ.

PEtitur.

1. Ab honestate rei propter quam laudatur.
2. A veritate eorum quæ de illa affirmantur.
3. A solidis rationibus & argumentis, quibus allata comprobantur.
4. A magnitudine rerum, quas gessit.
5. Ab eo, quòd nihil fuci, & blanditiarum instituta laudatio contineat.
6. Petitur à natura, quæ corpus, & animum, virtutes, facultates, scientias, &c. comprehendit.
7. Corpore, V.G. à pulchritudinem, robore, agilitate &c.
8. A patria, maioribus, opibus, honoribus, affinibus, amicis &c.
9. Ab institutione, educatione, magistris, &c.
10. A reliquis circumstantijs totius vitę.

Art.

Art. 5. Laus Patriæ.

LAus Patriæ petitur.
1. Ab eius nobilitate.
2. Ab insigni aliqua virtute propter quam celebratur.
3. Ab illustribus viris quos genuit, vel à quibus fundata est.
4. Ab illius administratione.
5. A fertilitate.
6. A situ.
7. Ab æris temperie.
8. Ab vrbibus.
9. A moribus.
10. A pietate.

Denique ab omni alia virtute v.g. fortitudine, humanitate.

Art. 6. Laus Nobilitatis.

LAus Nobilitatis petitur.
1. Ab Antiquitate.
2. A virtute Maiorum.
3. Ab honoribus.
4. A Liberalibus disciplinis quæ nobilem decent.

Art. 7. Laus Natiuitatis.

LAus Natiuitatis petitur.
1. A tempore quod præcessit, & à pro-

à prodigijs quæ tunc temporis contigere.
2. Ab rebus comitantibus natiuitatem;
3. A modo natiutatis.
4. Denique ab ordine natiuitatis.

Art. 8. *Laus Nominis.*

LAus Nominis petitur.
1. Ab occasione, propter quam datum est.
2. A persona, à qua datum est;
3. A significatione.
4. A modo, quo datum est,

Art. 9. *Laus Educaiotnis.*

LAus Educationis petitur.
1. A cura parentum.
2. Ab institutorum, seu Magistrorum commendatione.
3. A modo, quo instituta est.

Art. 10. *Laus facultatum & opum.*

LAus Facultatum & opum petitur.
1 Ab earum abundantia.
2. A Virtute, cum qua coniunguntur, v. g à liberalitate, modestia, magnificentia &c.
3. A bono illatum vsu.

Art.

Art. 11. Laus Honorum.

LAus Honorum petitur.
1. A statu.
2. A splendore.
3. A celebratione.
4. Ab authoritate.
5. A persana, quæ honorem defert.
6. A meritis personæ, cui defertur.
7. A modo obtinendi honores.
8. A modestia, quæ in honore obseruatur.
9. A suauitate morum in illis honoribus.

Art. 12. Laus Felicitatis.

LAus felicitatis petitur.
1. A celeritate præclarè gestorum.
2. A rei nouitate.
3. A numine fauente.
4. A bonis acceptis & collatis,
5. A communicatione alijs, facta felicitatis suæ.
6. A modestis moribus & virtute.
7. A casibus fortunatis.
8. A tempore, quo hi casus contigerunt.
9. Ab animi celsitudine.
10. A modo adipiscendæ felicitatis.

Art. 13. *Laus Pulchritudinis.*

LAus pulchritudinis petitur.
1. A formæ dignitate.
2. Ab amabili vultus honeſtate.
3. A liberali quadam humanitate oculis affuſa.
4. Ab emicante gratia per totum vultum.
5. A colore.
6. A membrorum debita proportione.
7. Ab eo quòd pulchritudo ſit animi imago.
8. Ab eo quòd virtutis ſit initium.
9. A virtute, cum qua coniungitur.

Art. 14. *Laus Roboris.*

LAus roboris petitur.
1. A firmitate corporis, & neruorum.
2. Ab eo quòd homini Principatum & Imperium aſcribat, ſaltem apud Medos Et ex ſententia Platonis 7. de Republica.
3. Ab animi fortitudine cum eo coniuncta.
4. A præmijs, quibus viri robuſti aliquando donati ſunt.
5. A bono vſu roboris & virium.
6. A preclarè geſtis,

Art.

Art. 15. Laus ætatis.

Laus ætatis petitur.
1. Ab honestis affectibus.
2. Ab immanitate à vitijs.
3. Ab expectatione, & spe quæ concipi potest.
4 A maturitate, & aptitudine ad res magna.

Art. 16. Laus Exercitacionum Corporearum.

Laus exercitationū corporis petitur.
1. Ab eo quod in adolescentibus sint aliquando futuræ virtutis indicia.
2. Ab eo quod in Regibus ac Principibus viris honesta sint maiorum curarum argumenta.
3. Ab eo quòd tempore pacis ad bellicas exercitationes disponant.
4. Ab eo quòd fortitudinem foueant, & alant.
5. Ab eo quòd animos excitent ad victoriam.

Art. 17. Laus Virtutis.

Laus Virtutis ducitur.
1. Ab eo quòd bonis corporis longè præstet.

2. Ab

2. Ab eo quòd rebus omnibus ornamentum & decus afferat.
3. Ab eo quòd ſit bonum conſtans ac perpetuuum, nec imperio fortuuæ ſubiectum.
4. Ab eo quòd poſt mortem viuat, & ſplendeat.
5. Ab eo quòd ſola in hoc mundo felicitatem noſtram ſtabilire poſſit.

Art.18. Laus prudentiæ.

LAus Prudentiæ petitur.
1. Ab eo quod ſit animæ lucerna, cuius beneficio cuncta videat, proſpiciat, & perficiat.
2. Ab eo quòd ſit virtutum nutrix, & moderatrix.
3. Ab eo quòd aliorum conſilia non repudiet in ſuis negotijs.
4. Ab eo quòd ſtudiosè eligat, à quibus conſilium petat, nec vtatur adulatoribus.
5. Ab eo quòd pertinaciam omnem ex animo deijciat, & impetum voluntatis licentioris reprimat.
6. Ab eo quod diligenter præterita, præſentia, & futura diſcutiat, & inter ſe componat.
7. Ab eo quòd loco, & tempore, ratione audita, ſententiam mutare non dubitet.

8. Ab eo quòd non leuiter, et iuueniliter agat, nec temerè cuiuis animi sui arcana retegat.
9. Ab eo quòd promptè et celeriter perficiat, quòd maturè deliberatum est.

Denique ab eo quòd fraudem omnem & caliditatem ferre non possit, & virtute magis quam dolo contendat, nec fidem vnquam datam violet.

Art. 19. Laus Sapientiæ.

Laus Sapientiæ petitur.
1. A longo rerum vsu.
2. A liberalibus honestisque disciplinis, quibus aliquis ornatus est.
3. Petitur ab eo quòd originem ducat à diuina sapientia.
4. Ab oraculis, quæ edere solet.
5. Si cum eloquentia coniungatur.
6. Si fortitudinem habeat adiunctam, et comitem.

Denique petitur ab eo quòd soli sapientes administratione rerum digni sint.

Art. 20. Laus Temperantiæ.

Temperentia laudatur.
1. Ex eo quòd sumptus omnes superuacaneos reijciat.
2. Ex eo quòd delicatiorem cultum non admittat.
3. Ex eo quòd muliebrem ornatum non ferat.

4. Ex

4. Ex eo quòd rebus honestis et necessarij contenta sit.
5. Ex eo quod nihil molle et effœminatum patiatur in victu, & vestitu.
6. Ex eo quòd ita sibi sit parca, vt in alios sit liberalis
7. Denique ex eo quod virtutes foueat, & nutriat.

Art. 21. *Laus Liberalitatis.*

Liberalitas laudatur.
1. Ex eo quod multum valeat ad conciliandam hominum beneuolentiam.
2. Ex eo quòd sit quasi expressa, et spirans imago Dei.
3. Ex eo quòd sit quasi proprius Principis character.
4. Ex eo quòd in eximia fortuna nihil sit dignius.
5. Ex eo quòd, quibus, quæ, & quando debeat, largiatur.
6. Ex eo quòd pauperes subleuet.
7. Ex eo quòd etiam debita remittat.
8. Ex eo quod eximia morum probitate & necessitate sola ducatur.
9. Ex eo quod ita in eà magnificentia seruetur, vt nihil sit luxus.
10. Ex eo quod miseros consoletur, recreet, & reficiat.
11. Ex eo quod bene meritis nunquam desit.

12. Ex eo quod verecundiam inferiorum præuertat.
13. Ex eo quod educationem liberalem puerorum curet.
14. Ex eo quod, non ex alieno, sed ex suo largiatur, hilariter quidem, promptè liberè, & gratuitò.
Denique ex eo quod solo amore honestatis ducatur.

Art. 22. Laus Munificentiæ.

Laus Munificentiæ petitur.
1. Ab eo quòd Nobilium et Herorum propria sit.
2. Ab eo quod Diuinam in Terris bonitatem & excellentiam imitetur.
3. Ab eo quod diuitijs affluere nolit, nisi ad commune bonum.
4. Ab eo quod sit veluti omnium parens.
5. Ab eo quod sit veluti Sol muudi.
6. Colligitur ex amplissimis donis quibus virtutem compensat, et pietatem exornat.
7. Ab operibus sacris, publicis, vtilibus, et diuturnis: qualia sunt templa, palatia, vrbes arces, congiaria donationes, gymnasia, academiæ, & cætera eiusmodi.

Art.

Artt. 23. Laus Castitatis.

CAstitas Laudatur.
1. Ex eo quod virtus sit præstantissima, quæ Deo plurimùm placeat.
2. Ex eo quod sit propria Principis virtus.
3. Ex eo quod sit virtutum custos per modestiam suam.
4. Ex eo quod voluptatis illecebras conculcet.
5. Ex eo quod nihil in ædibus, nihil in cubiculis ferat, quòd oculos offendat; turpia spectacula fugiat; ac turpe nihil legere possit ac fœdum.

Art. 24. Laus Fortitudinis.

LAus fortitudinis & magnitudinis & animi petitur.
1. Ab eo quod aduersa omnia contemnat, iniurias non sentiat; in aduersa fortuna tranquilla sit semper: omnia patiatur & constans in virtute sit.
2. Ab eo quod non nisi magna appetat, nihil paruum moliatur, nil nisi honestum ambiat, omnia præter virtutem infra se putet.
3. Ab eo quod virtutetem solam & veram consectetur,

4. Ab eo quod diuinum (vt ita loquar) hominem faciat.

5. Ab eo quod nihil metuat, labores sponte sufferat, impauida sit semper & ipsa etiam pericula lacessat: nunquam à consilio suscepto minis & terroribus amoueatur, nunquam difficultatibus frangatur, semper sit similis, & semper Regia.

6. Ab eo quod in alios moderate se gerat, & fortuna sua nunquam abutatur.

Denique ab eo quod tam sponte grauia & acerba patiatur, cùm necessitas cogit, quàm felici fortuna vtatur.

Art. 25. Laus Iustitiæ.

Laus Iustitiæ petitur.

1. Ab eo quod adeò sit nessaria, vel etiam scelerati sine aliqua saltem iustitiæ vmbra viuere non possint.

2. Ab eo quod sit virtus maximè necessaria principibus.

3. Ab eo quod, qui iustus est: magnam authoritatem habere soleat.

4. Ab eo quod ab omnibus diligatur, illique fides facilè habeatur.

5. Ab eo quod fundamentum sit perpetuæ existimationis et famæ.

6. Ab eo quod sine iustitia nihil esse possit laudabile.

7. Ab eo quod respiciat Dei cultum et ob-

obseruantiam, charitatem in patriam, pietatem in parentes fidelitatem in amicos, in Principes amorem et venerationum, in præceptores, et senes honorem et reuerentiam, charitatem in omnes, fidem in promissis et creditis etc.

Art.26. Laus Religionis.

PEtitur Laus religionis.

1. Ab eo quod bene sentiat de obseruantia et cultu Dei

2. Ab eo quod sapienter de Diuina Prouidentia iudicet.

3. Ab eo quod res Diuinas complectatur et quodammodo inspiciat.

4. Ab eo quod Dei gratiam et auxilium sibi consiliet

5. Ab eo quod vni soli Deo omnia sua bona accepta referat.

6. Ab eo quod soli Deo honores omnes deferat.

7. Ab eo quod sacras ceremonias multi faciat, et cum reuerentia vsurpet; denique Deum templis et donarijs colat, magnoque ardo e amplificandæ illius gloriæ incendatur, multasque preces fundat et vota nuncupet, resque sacras et homines sacros honori magno habet.

Art. 27. Laus Charitatis in Patriam.

PEtitur
1. Ab eo quod communis omnium antiquiſſima & ſauctiſſima ſit parens quę omnium omnes charitates, complectatur.
2. Ab eo quod habita olim fuerit à Paganis tanquam Dea, quam obſeruare magis & colere debemus, quàm matrem & pro qua nemo bonus mortem oppetere, et quodlibet arduum ſuſcipere non debeat.

Art. 28. Laus pietatis in Parentes.

PEtitur.
1 Ab amore erga eos.
2. A votis pro ijſdem nuncupatis vt longius viuant.
3. Ab honoribus illis habitis.
4. A concordia cum ijs ſeruata.
Denique à periculis eorum cauſa perlatis.

Art. 29 Laus venerationis & amoris in Principes obseruantia in praeceptores, in senes, Charitatis in omnes, & fidelis Iustitia.

LAus venerationis in Principes petitur.

1. Ab eo quod magnos viros deceat.

2. Ab eo quod ostendat magnam mentem, & sagax ingenium, quia Principes quodammodò Dei munere erga subditos funguntur.

Laus obseruantiæ in præceptores petitur.

1. Ab eo quod sint quasi parentes.

2. Ab eo quod non parum laborent in docendo, & sæpiùs tædiũ pati cogantur.

3. Ab eo quod bonam indolem suis hortationibus instillent.

4. Ab eo quod desidiam discutiant.

5. Ab eo quod ingenium labens, & pigrum in lucem proferant.

Laus obseruantiæ erga Senes petitur.

1. Ab eo quod exemplis suis nos ad virtutem impellant.

2. Ab eo quod sint quasi prçceptores Iuuentutis.

3. Ab eo quod, quemadmodum magnorum fluminum capita aliquo modo veneramur, sic & seniores venerari nos oporteat.

Laus Charitatis in omnes petitur.

1. Ab eo quod amicos nostros ægros inuisamus.

2. Ab eo quod miseris opem feramus.

3. Ab eo quod de nemine vix suspicemur malum &c.

Denique laus fidelis Iustitiæ petitur:

1. Ab eo quod fidelis iustitia sit quasi certissimum salutis humanæ pignus.

2. Ab eo quod fideliter reddat, quæ accepit, vel quæ pacta est.

3. Ab eo quod suis semper stet promissis.

4. Ab eo quod etiam hostibus fidem seruet, quantumcumque magna inde oriantur incommoda.

Art. 30. Laus Clementiæ.

PEtitur.

1. Ab eo quod sit virtus Regia.

2. Ab eo quod abhorreat à sanguine, & crudelitate.

3. Ab eo quod conciliet hominum beneuolentiam.

4 Ab eo quod ad Deum prope accedat, salutemque homini concedat.

5. Ab eo quod sponte ignoscat victis hostibus iniurias.

6. Ab eo quod sibi illatas iniurias remittat.

7. Ab eo quod non nisi coacta puniat.

8. Ab

8. Ab eo quod nihil crudele ferat in pœnis, quas exigit.

Art. 31. Laus Seruitutis.

PEtitur
1. Ab eo quod improbos coerceat, et probos tueatur.
2. Petitur ab eo quod sit pars iustitiæ, & à zelo æquitatis proficiscatur.
3 Ab eo quod puniat tantùm vel vt hostis terreatur, vel vt Reus ampliùs non peccet.
4. Ab eo quod leges sustentet, et Remp. defendat.
5. Ab eo quod personarum acceptionem non habeat siue in puniendo, siue in eligendo ad Magistratus, et dignitatis gradus.
6. Ab eo quod nihil ex animi impetu agat, sed moderatè omnia, et prudenter.

Art. 32. Laus Verecundiæ.

PEtitur
1. Ab eo quod sit quasi tutrix, & conseruatrix cæterarum virtutum.
2. Ab eo quod ea nihil sit amabilius.
3. Ab eo quod sit indicium, animi moderati, & virtutis studiosi.
4. Ab eo quod sit quasi nuncia bonæ spei.

5. Ab eo quod pudicitiæ sit custos.
6. Ab eo quod authoritatem conciliet.
7. Ab eo quod nec honores supremos ambiat, nec laudes aucupetur.
8. Ab eo quod vanitatem omnem fugiat.
9. Ab eo quod mansueta sit.
10. Ab eo quod renuntiet dignitatibus, & honoribus.
11. Ab eo quod nunquam se iactitet.
12. Ab eo quod se legibus sponte subijciat.
13. Ab eo quod sponte obsequatur, quamuis sit in supremo dignitatis gradu.

Denique ab eo quod humaniter omnes accipiat, & in omnibus humilem se præbeat.

Laus artis aut scientiæ.

PEtitur

1. Ab inuentione, & illius vsu.
2. A multitudine rerum, quas complectitur.
3. A solertia, quæ adhibenda est.
4. Ab ingenio quod requirit.
5. A dispositione præceptionum apta, prudenti & clara.
6. Ab elocutione pura, eleganti perspicua, culta, venusta, plana, molli, florida, suaui, incitata, graui, omni denique

verbo.

verborum ornatu, & grauitate sententiarum affluente.

7. A pronuntiatione eleganti, venusta, & decenti,

8. A dignitate personæ loquentis, dexteritate, facilitate, grauitate, prudentia, & felicitate.

9. A victorijs quas reportauerit vir doctus v. g. orator si moueat, persuadeat, flectat, & in animis hominum dominetur.

Laus rerum in animarum.

Articulus primus.

LAus rerum inanimarum petitur.

1. Ab earum pretio, & communi æstimatione.
2. Ab vsu.
3. Ab genere.
4. Ab figura.
5. Ab antiquitate.
6. Ab causis.
7. Ab effectibus.
8. Denique à fine,

Art. I. Laus regionis.

PEtitur.

1. Ab antiquitate.
2. A primis cultoribus.

3. A prin-

3. A principibus.
4. Ab amplitudine, situ, amœnitate, aeris clementia & salubritate.
5. A fluminibus, lacubus, mari, vrbium frequentia, celebritate, fertilitate.
6. A frugibus.
7. Ab animalibus.
8. A tutto itinere.
9. A virtute bellica incolarum studijs, et humanitate.

Art 3. *Laus Vrbis*.

PEtitur
1. A conditore.
2. A cœli temperie.
3. A situ.
4. A figura.
5. Ab amplitudine.
6. A munitionibus.
7. A fluminibus.
8. Ab ædificijs.
9. A numerositate ciuium.
10. A viris illustribus.
11. A rebus præclarè gestis.
12. Ab administratione.
13. A Magistratibus.
14. Ab Academijs.
15. A Templis.
16. A ciuium moribus.

Art.

Art. 4. Laus Accademiæ.

PEtitur.
1. A Conditoribus.
2. Ab antiquitate.
3. A disciplinis, quæ in ea pertractantur.
4. Ab ijs, qui illi præsunt.
5. A loci commoditate.
6. Ab æris salubritate.
7. Ab amænitate, & vbertate loci.
8. Ab ingeniorum dexteritate.
9. A compensatione eorum, qui præcellunt.
10. A præceptorum celebritate.
11. A bonis moribus.
12. A scolasticorum assiduitate.

Art. 5. Laus Fluminis.

FLumen laudatur,
1. Ab ortu, scaturigine copiosa, velocitate, colore.
2. A piscium generibus, & multitudine.
3. Ab alijs fluuijs, quos recipit.
4. A locis, quæ alluit.
5. A nauium frequentia, & alijs commodis.

Art. 6. Laus Domus.

DOmus laudatur

1. Ab amplitudine, figura, materia.
2. A situ, & prospectu.
3. Ab horto.
4. A puteo, vel fontibus.
5. Ab atrio, penetralibus, cubilibus &c.

Art. 7. Laus Agri.

AGer commendatur

1. Ab amœnitate loci.
2. A fertilitate & vbertate frugum, & fructuum.
3. A veritate pomorum, arborum, & herbarum generibus.
4. A cultura prædijs &c.

Art. 8. Laus Montis.

MOns laudatur

1. A magnitudine, altitudine; &c.
2. A radicibus, vallibus &c.
3. A miraculis prodigijs, & rebus memorabilibus.
4. A fontibus torrentibus &c.
5. Denique à frugum vbertate & copia.

Art.

Art. 9. Laus Plantæ.

PLanta & radix commendantur
1. A colore.
2. Ab odore.
3. A sapore, figura, virtute &c.
4. A rusticorum testimonijs, inuentoribus.
5. A comparatione cum aliis plantis.

Art. 10. Laus in genere.

REs denique singulæ laudantur ab his omnibus, quæ ipsis pro suo statu, & conditione competunt, v. g. puer, adolescens vir senex, Discipulus, Miles, Dux magistratus, Pictor, Sculptor, Architectus, Chirurgus, Medicus, Mathematicus, Philosophus, Theologus, &c. laudantur ab his capitibus quæ ad eorum laudem pro suo statu assumi possunt. Puero maxime conueniunt docilitas, ingenij puerilis alacritas, totius corporis decor, semina & principia virtutum, desiderium rerum magnarum, pudor, integritas vitæ, sermonis affabilitas &c. *Laus rerum in genere.* *Laus pueri.*

Adolescenti maxime conuenit studium virtutis & sapientiæ; quare in eius laudem afferatur apud quos egerit, quibus vsus fuerit præceptoribus, quibus *Laus adolescentis.*

bus æqualibus, quibus ſtudijs, quibus artibus ac diſciplinis, &c commendabitur potiſſimum dexteritas, & aptitudo.

Laus viri. Virili ætati conueniunt prudentia, rerum vſus & cognitio, magnitudo animi & fortitudo: facultates, honores, præclare facta, prudenter dicta tum publicè tum priuatim &c.

Senectuti conueniunt longus rerum vſus, experientia, conſilium prudentia, vitæ integritas, commitas, morumque dulcedo &c.

Laus Facti.

FActum aliquod laudari poteſt

1. Ab honeſtate, ad quam referuntur æquitas, gloria, magnitudo, præſtantia, & cæteræ virtutes facto coniunctæ.

2. Ab vtilitate.

3. A iucunditate, celeritate, facilitate, & conſtantia, qua peractum eſt.

4. A perſona, quæ rem geſſit.

5. A tempore & cæteris circunſtantiis.

CAPVT II.

Quæ obseruanda sunt in dispositione generis demonstratiui.

IN genere demonstratiuo Obseruari potest. Primus modus dispositionis demonstratiui generis.

1. Temporum series, debetque per singulos ætatum gradus, statusque procedere laudatio, vel vituperatio v.g 1. dicentur, quæ ante vitam 2. quæ in vita, 3. quæ post mortem. Ante vitam, sunt patria, parentes, oracula somnia &c. In vita, natiuitas educatio, institutio ingenua, mores, pacta, dicta, facta, cogitata &c. Post mortem, miracula, posteritas &c. vide orationem pro Archia Poeta.

2. Modus.

2. Laudis vel vituperij capita ad certa quædam membra reuocari possunt, & in singulis, quæ rei competunt, afferendo ea conuenienter, commorari possumus. v. g. in bonis corporis, animi, & fortunæ &c. adde quod genus demonstratiuum versari possit circa personas, facta, dicta, gratiarum actiones, gratulationes, orationes funebres, et alias eiusmodi; præterea circa descriptiones quarumlibet rerum v. g. animantium, regionum, vrbium etc.

3. In hoc genere demonstratiuo seruari po-

3. Modus dispositionis in genere demonstratiuo. potest ordo dignitatis rerum, initio ducto vel à minoribus ad maiora, vel à maioribus ad minora. Vide orat. pro Marcello 32. Philipp. num. 78. et Vatinianam.

4. Modus. 4. Haberi debet ratio diuersitatis rerum ad delectationem excitandam. v.g. iungendo parua magnis, læta tristibus, incredibilia probabilibus, vtilia honestis, iucunda necessarijs etc.

Generis demonstratiui partes duæ. Generis demonstratiui partes sunt duæ, laudatio et vituperatio: vtriusque dispositio suis locis explicatur. Motus habet, vt ante dictum est lib. 1. de inuentione, in motibus.

Exordiũ generis demonstratiui. Exordium generis demonstratiui est valde liberum, ducique potest vel à persona, vel à facto, dictone aut à reliquis capitibus, quæ sunt explicata in exordio.

Status. Status huius generis est constitutio quæstionis, v.g. quòd quis laudandus sit, vel vituperandus.

Narratio. Narratio delectum habere debet rerum, quæ commendantur, nec est seiungenda ab aliis partibus, sed per totam orationem diffundi debet.

Confirmatio generis demonstratiui. Confirmatio et amplificatio peti possunt ex locis Rhetoricis conuenientibus tempori, loco, personæ facto, dicto, et cæteris circunstantiis.

Peroratio. Peroratio vel epilogus maximè pendet

dec ex oratoris prudentia, et *in laude* continere debet motus aliquos, qui ad virtutis imitationem ferant, amorem et beneuolentiam concitent in eum qui laudatur; contra verò *in vituperatione* ad deteſtationem vitii, et odium illi conflent qui vituperatur.

CAPVT III.

Progymnaſmata Aphthanij in genere Demonſtratiuo.

AD genus demonſtratiuum referuntur hæ amplificationes, ſeu Progymnaſmata Aphthonii, laus, vituperatio, imitatio ſeu Ethopæia, comparatio.

Laudis definitio.

Art. I. Laudis diſpoſitio & vituperationis.

LAus, eſt oratio alicuius bona enumerans vide ſingula laudis capita, de quibus ante breuiter actum eſt.

Quod de laude dictum eſt, etiam et de vituperatione dicendum eſt: modo tamen oratio res oppoſitas contineat. Vituperatio enim eſt ſemo r expo-

ponens mala rei, quam vituperamus.

Vituperationis definitio. Diſpoſitio tum laudationis tum vituperationis eadem eſt, quæ ſuperiùs allata fuit. Hæc amplificatio cum ſimilis ſit toti orationi, exempla tibi ſuppeditabūt orationes Ciceronis, quæ ad genus demonſtratiuum pertinet, de quibus infra.

Hymnus Encomium Elogiū. Hic addo breuiter encomium ſeu laudationem aut exornationem differre ab Hymno, & elogio 1. quod Hymnus ſit deorum; Encomium verò ſit hominum; 2. quòd Elogium breuis ſit laudatio; Encomium verò longius ſit, pluſque artificij requirat. Encomium tribuitur perſonis, vt Ariſtoteli &c. rebus, vt cuilibet virtuti, puta modeſtiæ &c. temporibus, vt veri, æſtati, &c. locis, vt hortis &c. animalibus, vt Leoni &c. Plantis vt viti &c. præterea eadem hæc omnia laudari poſſunt vel conmmuniter, vt ſi laudarentur omnes Gallis, vel ſingillatim, vt ſi laudaretur tantùm vnus Gallus.

Ratio exordijs in laude. Itaque ſiue perſonam, ſiue rem, ſiue quodlibet aliud laudare velis hanc diſpoſitionem ſeruare poteris. Exordium ducetur vel à commendatione ipſius perſonæ, quam laudamus, vel ab hortatione ad honorem illi deferendumvel à conciliatione Auditorum, vel denique ab alio quouis capite, quod aptum fuerit, vt ante dictum eſt.

Expoſitio continebit.

1. Ge-

1. Genus, ad quod referuntur natio, patria, maiores, parentes.
2. Naturam, quæ complectitur & bona corporis, nempe sanitatem, velocitatem, vires, pulchritudinem, proceritatem &c. animi bona, scilicet, ingenium, iudicium, memoriam, mores, studium, &c.
3. Educationem, quæ complectitur apud quos educata fuerit, sub quo genere reipublicæ quam artem professa fuerit, quibus magistris vsa fuerit.
4. Actiones ex virtutibus factas.
5. Honores, quibus exornata fuit persona ante mortem vel post mortem.
6. Mortem ipsam, quæ gloriosa fuit. Additur comparatio cum alia re simili, cui præferri debet. Concluditur denique epilogo, qui fere totus erit in votis. Nihil addo de dispositione vituperationis, quia easdem habet partes, & eadem capita, sed per oppositionem.

Laudis capita quæ singulare ferri possunt ad superiora.

Art. 2. Ethopœia dispositio.

IMitatio seu Ethopœia, est expressio morum alicuius personæ. Hoc est, v.g. quid diceret timidus auarus aureum nactus ensem, triplex est genus Ethopoeiæ.
1. Est Idolopopæia, quæ est expressio morum personæ mortuæ.

2. Proso-

2. Prosopopæia, quæ est expressio ficta, & morum, et personæ, & circunstantiarum.

Ethopœia triplex. 3. Ethopæia ipsa, quæ spectat ad personam veram & cognitam.

Ethopœia triplex est; pathetica moralis, & mixta.

Etophæia pathetica, est expressio affectuum vehementiorum, vt quid dixerit Medea suos mactatura filios.

Moralis, est expressio morum duntaxat, hoc est v. g. quæ esset oratio auari timidi qui aureum ensem nactus fuisset.

Mixta, est expressio & affectuum vehementiorum, et morum, vt, quid dixerit Achilles super Patroclo. Vide progymnasmata *Libanij*.

Ethopœia dispositio. Ethopœia tria continet tempora, pręsens pro Exordio, præteritum et futurum pro confirmatione.

Exemplum sit. *Me miseram? ærumnosa iam ego sum vnius filij mater* (hoc ad præsens tempus spectat.) *Sed infelicem me, quæ parem ei, qui me genuit sum experta fortunam.* (Hoc ad præteritum tempus pertinet.) *Verum enimverò quid ist aqueror ac deploro? vereor misera ne etiam mutata in aliam formam lachrymas offundere non desistam*, hoc ad rerum statum futurum spectat.

Itaque sic procedit Ethopęia, vt eius

in tium

initium à præſenti ducatur, deinde ad præteritum, et ad futurum progreſſus fiat.

Hoc progymnaſma nec toti orationi, nec parti conuenit, lege exempla Ciceroniana in elocutione, vbi agitur de Ethopęia.

Art. 3. Comparationis diſpoſitio.

COmparatio eſt oratio conferens aliquid cum alio v. g. bona vnius cum malis alterius, parua cum magnis, &c. Comparatio.

Amplificatio comparationis ducitur ab iiſdem capitibus, à quibus res vel laudantur, vel vituperantur, Hoc progymnaſma, ſimile eſt totij, orationi quare habet exordium, expoſitionem, et Epilogum vt laudatio, & ad eadem exempla Ciceroniana, referri poteſt.

CAPVT III.

Variæ Orationes, quæ ad genus demonſtratiuum ſpectant.

Art. 1. Oratio genethliaca.

OBſeruandum eſt Panegyricam orationem, eam eſſe propriè quæ ha- Panegyrica oratio.

betur ad populum conuocatum ad laudem alicuius; sumi tamen latè pro omni laudatione: quare prima sit.

Oratio Genethiliaca. Hæc autem, est oratio gratulatoria, et hilaritatis plena.

Eius dispositio sic se habet.

Exordium ducitur ab aliqua circunstantia loci, temporis, aut personæ; Vel à votis publicis, precibus, sacrificijs, et ab ijs quæ natiuitatem præcesserunt, Nõnunquam à præclara quadam fabula, vel etiam ab exclamatione.

Confirmatio continere potest duas partes.

1. Commemorationem Maiorum, & prodigiorum, si quæ præcesserunt natiuitatem.

2. Ea quæ natiuitatem comitantur, & quæ in futurum conijci possunt ex circunstantijs Natiuitatis, loco, tempore, antecedentibus augurijs, dictis oraculis, somnijs, et alijs similibus rebus.

Prætereà ex facie, vigore, moribus, et cæteris indicijs.

Epilogus seu peroratio continet vt plurimùm vota, faustas preces pro puero et pro parentibus.

Art. 2. Oratio Lustrica.

ORatio Lustrica, seu Laustralis spectat ad laude nominis, quod imponitur infanti.

Hæc est eius dispositio.

Exordium ducitur à circustantijs loci, personæ etc.

Vel ab aliquo ritu antiquo.

Vel à lætitia communi.

Confirmatio duas partes complectitur.

1. Commendationem nominis, quæ solet peti à causa propter quàm imponitur nomen, et ab ijs virtutibus, quas designat.

2. Quod sine vllo fauore vel adulatione nomen hoc imponatur.

Quare in confirmatione afferuntur res gestæ et virtutes, quæ id nominis promerentur.

In hac oratione frequentes esse solent comparationes.

Epilogus concluditur votis, faustis precibus, et gratulationibus.

Art. 3. Epinicium.

ORatio gratulatoria, seu Epinicium adhibetur in quouis felici casu, Estque oratio, per quam alicui gratulamur.

Hæc eſt eius diſpoſitio.

Exordium duci poteſt à cauſis publicæ lætitiæ, vel à mutatione fortunæ in meliorem ſtatum, vel ab alijs rei circunſtantijs.

Confirmatio plures habet aliquando partes, eaſque pro dicentis iudicio.

Cum agitur de victoria, grates referuntur propter debellatos hoſtes, ob timorem ereptum, propter liberatam patriam &c Prætereà cum laude numerantur præclarè geſta, explicantur virtutes, Imperatoris, exercitus, ducum commilitonum. Additur narratio victoriæ, & ab adiunctis amplificatur per hypotypoſes, deſcriptiones, cõparationes, & pręcedẽtis fortunę cum pręſenti collationes.

Denique concluditur epilogo, qui totus erit in votis ac precibus pro felici rerum ſucceſſu.

Ad hanc orationem gratulatoriam referri debet oratio lamentatoria, quæ gratulatoriæ oppoſitam habet tractationem.

Art. 4. Oratio Lamentatoria.

ORatio lamentatoria duo continet.

1. Malum quod exaggeratur, tum ad leuandum dolorem, tum ad excitandam miſericordiam, vel odium in aduerſarios.

2. Continet metum, qui alijs inijci debet,

bet, nè in idem malum incidant.

Epilogus preces habet pro auertendo malo, de quo quæstio est.

Art.5. Epithalamium.

ORatio nuptialis, seu Epithalamium, est oratio, qua laudantur nuptiæ.

Exordium duci potest à lætitia et celebritate nuptiarum. Hoc autem exordium continere solet.

1. Significationem aliquam difficultatis argumenti, vel propter nobilitatem sponsorum, vel propter alias quasuis circunstantias.

2. Rationes, quibus orator ipse impulsus fuerit ad suscipiendam laudationem, v. g. affinitatis, amicitiæ &c. 3 Enumerationem commodorum, quæ ex hoc coniugo sperari possunt.

Confirmatio complectitur,

1. Laudem sponsorum, vt ante dictum est in laude personæ.

2. Eorundem genus, vt in laude nobilitatis dictum est.

3. Diuersos ritus, v.g. morem compoponendi coronas ex casia, nardo, croco, myrtho, lauro, olea rosis, lilio, oliua, &c.

4. Munerua quibus sponsi cohonestantur.

5. Fictiones aliquas, v.g. liberorum,

qui quasi cum parentibus colludentes oculis subijciuntur.

6. Apparatus conuiuij, thalamis, domus, &c.

7. Denique, apostrophen ad vtrunque sponsum de spe sobolis virtute non imparis.

Epilogus denique fausta omnia vtrique sponso precatur.

Art. 6. Oratio postulatoria.

ORatio postulatoria adhibetur, cum quidpiam alicuius momenti vel debitum vel iustum petimus.

Hæc oratio artificiosa esse debet, aliquando insinuationem requirit ad conciliandam beneuolentiam, aliquando ferè nullam. Habenda est in ea rei ratio. Item & personarum, conditionis, & fortunæ.

Exordium ducitur ab ipsius personæ adiunctis, eiusque maximè laudari debet liberalitas.

Attendendum est etiam ad rationem loci, & temporis.

Post exordium sequi potest explicatio rei quam petimus.

Confirmatio continere potest.

1. Rationes petitionis, v. g. collata beneficia, res præclarè gestas &c.

2. Spē non dubiā ab insigni liberalitate.

3. Vti-

3. Vtilitatem quæ ex munere profectura est.
4 Honestatem, quæ in petito beneficio conferendo posita est.
5. Commendationem eorum, qui cum eo, à quo petimus aliquid coniuncti sunt
6 Probationem, qua ostendamus petitionem nostram honestam esse, piam iustam, & facilem illi quem rogamus, nobis verò perutilem ac necessariam, vel alijs, pro quibus agimus.

Epilogus pollicebitur animum gratum, ac memorem accepti beneficij, summamque animi propensionem declarabit.

Art. 7. Gratiarum actio.

ORatio Eucharistica, seu, gratiarum actio nullam habere debet suspicionem simulationis, vel ostentationis.

Exordium duci solet ab ea virtute quę maximè in accepto beneficio elucet, vel à ratione propter quam actiones gratiarum dilatæ fuerint, vel ab ipsa persona largientis.

Confirmatio ferè tota esse debet in cōmendatione virtutis, quæ beneficij caussa fuit, soletque tria complecti.
1. Laudem benefactoris.
2. Beneficij declarationem, & am-

plificationem ex adiunctis, de quibus supra.

3. Beneficij causas, quæ ex circunstantijs hauriri debent.

Addi potest commendatio amoris beneuolentiæ largientis, Item & modus, quo beneficium collatum est, Item & tempus quo fuit collatum.

Epilogus memorem animum pollicebitur.

Art. 8. Oratio inaugurationis.

ORatio inaugurationis ea est, quæ habetur, cum Rex vngitur, vel creatur, & instituitur Magistratus, aut gubernator. Hæc oratio vt splendida esse debet, ita non parum artificij requirit.

Exordium sumi potest ab electione personæ, quæ propter merita sua commendabitur. Vel à principis, aut vrbis beneuolentia, à quibus dignitas, vel magistratus defertur; Vel à communi lætitia; Vel ab augurijs, & alijs prodigijs, Vel à loco vbi fit inauguratio; Vel à ceremonijs; Vel ab ornatu & splendore pompæ.

Confirmatio continere debet.

1. Commendationem personæ, quæ fiet, si v. g Rex dicatur imago dei, diuinæ Maiestatis character &c.

2. Continet illustriores comparationes, & simi-

& ſimilitudines aliarum vnctionum, v.g. Dauidis, Salomonis &c.

3. Rationes inaugurationis.

4. Explicationes inſignium Dignitatis vel Magiſtratus.

5. Ennumerationem præſtantiſſimorum principium, aut clariſſimorum virorum, qui magnam laudem conſecuti fuerint.

Epilogus totus erit in gratulationibus votis, ac precibus.

Art. 9. Oratio dedicatoria.

ORatio dedicatoria tria continent

1. Occaſionem dedicandi.

2. Dignitatem perſonæ cui dedicamus.

3. Opportunitatem dedicandi.

4. Explicare debet cauſas vel officij, vel dignitatis, vel gratitudinis, vel alterius, cuiuſcumque rei.

Denique fidem omnem ſuam, & obſequium, qui dedicat, obſtringit.

Art, 10 Oratio ad recipiendum Principem, aut Magiſtratum.

ORatio ad recipiendum principẽ, vel magiſtratum complecti debet.

1. Cauſas aduentus, vel ingreſſus in vrbem.

2. Gratulationes, ſi quod præclarè factum ſit, vel bonum ſperetur.

5. Lætitiæ argumenta de felici aduentu.
Exordium duci poterit ab expectatione, & votis populi, vel à communi gaudio propter illius aduentum.
Confirmatio continere potest.
1. Illustria symbola, insignes comparationes, & similitudines, quibus persona commendetur.
2. Descriptionem apparatus, eiusque circunstantiarum.
3. Plausus, et faustas acclamationes.
4. Crebram apostrophen ad ipsas res inanimas v.g. ad domos, templa &c. & ad ciues.
Epilogus, animos, fortunas, opesque denouebit: vel amorem in se perpetuum summisso animo postulabit.

Art. 11. *Oratio funebris.*

Oratio funebris sic disponitur, Exordium doloris plenum esse debet, ducique potest vel ab aliquo voto, vel ab exclamatione, vel ab inuectiua in mortem, causamque mortis, vel à deploratione vtriusque, vel ab indignatione propter mortis rationem, vel ab explicatione humanæ conditionis, vel à graui aliqua, sententia, vel à circunstantijs mortis ostentis, et prodigijs, vel à dubitatione, vel ab exequiarum apparatu, vel ab aliquo symbolo, vel à diuersis gen-

gentium ritibus, vel ab excusatione propter dilatam orationem funebrem, vel à rationibus leniendi doloris, vel à commendatione personæ, quæ mortem est, vel à causis mœroris, & tristitiæ, vel ab affinitate, & gustatu, &c.

Confirmatio tria complecti debet.

1. Commendationem virtutis eius, qui vita functus est.

2. Viuorum pacem, et solatium.

3. Documentum superstitum.

Ratio conficiendæ huius orationis sic institui potest, vt mausoleum defuncto excitare nos velle fingamus, vel aliquod templum, cuius materia virtute sint.

Addi potest, quòd nihil esset, quare amplius inter mortales viueret enumeratis scilicet omnibus præclarè gestis, quæ nihil faciendum post se reliquisse videantur.

Proponetur etiam posteris tanquam exemplar, quod imitentur.

Epilogus æternam mortuo felicitatem, et memoriam precabitur, & posteros ad imitationem cohortabitur. Concludeturque epitaphio.

CAPVT IV.

De Genere deliberatiuo.

Art. I. De Genere deliberatiuo in communi.

GEnus deliberatiuum varium est, & multiplex.

Quotuplex sit genus deliberatiuum. Aliter vocatur suasorium à suadendo. Concionatorium, à Concione, seu conuentu populi, ad quem orationes deliberatiuæ habebantur tum apud Romanos, tum apud græcos; Denique Consultoribus, à Consilio dando.

Generis deliberatiui partes duæ. Genus deliberatiuum est id quod, cum positum sit in consultatione, suasionem vel dissuasionem complectitur.

Generis deliberatiui materia. Materia generis deliberatiui est id, de quo haberi potest deliberatio, seu id, quod suaderi & dissuaderi potest.

Finis eiusdem generis. Finis deliberatiui generis, est rei vtilitas, vel detrimentum.

Status. Status, est constitutio quæstionis v. g an res facienda sit, nec ne &c.

Generis deliberatiui. Generis deliberatiui argumenta duci solent.

1. Ab vtili, & honesto.
2. A possibili:
3. A necessario.
4. A iucundo.

Locus ab vtili continet bona omnia siue animi, siue corporis, siue fortunæ, quæ percipi possunt.

Locus ab honesto, complectitur naturam, leges, & virtutes, quæ cum re coniunctę sunt.

Argumenta generis delibératiui.

Locus à possibili, continet circunstantias omnes, quæ rem facilem esse probant, de his circunstantijs vide locum ab adiunctis.

Locus à necessario, complectitur ea omnia, quæ consecutura sunt ex re facta vel non facta, hæc autem necessitas est cum adiunctione alicuius conditionis: non enim deliberatur, de re absolute necessaria.

Locus à iucundo, continet id omne quod vel animum vel corpus, vel vtrumque titillat & afficit, quales sunt potissimum descriptiones, explicatio adiunctorum rei & consequentium, Item & comparationes &c.

Contrarium desideratur in dissuasione: quapropter eius argumenta duci solent.

1. Ab incommodo, & periculoso,
2. Ab inhonesto, ac turpi.
3. Ab impossibili, aut difficili,
4. Ab inutili.
5 Ab iucundo.

Exordium.

In genere deliberatiuo, vel breue est exordium, vel nullum.

Adhi-

generis delibe- ratiui. Adhibetur tamen ad ornatum orationis, vel vt res clarior fiat, si obscura sit.

Adhibetur etiam ad authoritatem, sibi conciliandam, quam consequitur.

1. Modesta sui commendatione.
2. Animi grati significatione.
3. Enumeratione beneficiorum acceptorum.
4. Significatione amoris.
5. Desiderio bene consulendi.
6. Declaratione praui consilij aduersariorum.

Haberi autem debet maximè ratio personarum, ad quas orationem habemus. Coram primatibus, captatur beneuolentia vel ab Auditorum persona, vel ab ipsius oratoris persona.

1. Sibi gratulando de salute publica procuranda, cum ad eos oratio habeatur qui pariter, salutem reipublicæ quærant.
2. Suspicionem omnem remouendo vel cupiditatis vel metus, vel odij &c.

Coram imperita plebe docilitas conciliari debet exposita re, de qua deliberatur.

Attentio conciliatur.

1. Exposita rei magnitudine.
2. Rei dignitate.
3. Rei momento.

In dissuasione longius esse solet exordium, quàm in suasione.

In,

In genere deliberatiuo, narratio vel nulla, vel breuis est, & si quæ sit, continere debet tantum quasi semen argumentorum, quibus vtendum erit. Propositio & Patritio nunquam omiti debent.

Confirmatio diuidi solet in sua membra v.g. in honestum, vtile, possibile, facile, necessarium, & iucundum; vel contra, in difficile, impossibile, non necessarium, inutile, & iniucundum.

Cum aliquid confutamus, rationes rationibus sunt opponendæ, exempla exemplis sunt confutanda, faciendumque est, vt oratio nostra verisimilior videatur.

Generis deliberatiui amplificatio maximè petitur 1. ab exemplis, & ab authoritate.

2. A comparatione v.g. vtilium & necessariorum, item & honestorum, inter se: honestum tamen debet priùs proponi, quam vtile; deinde necessarium, & Iucundum; postremo possibile & facile: vel contra vt ante dictum est.

Generis deliberatiui peroratio duo continet.

1. Sententiam de re, quæ in deliberationem, venit.

2. Motus pro rei honestate pulchritudine, vtilitate, iucunditate &c. motus in-

inquam v. g. desiderij, spei, amoris, misericordiæ &c.

Contrarium fit in dissuasione.

Exempla suppeditabunt orationes Ciceronis in genere deliberatiuo, de quibus infra.

CAPVT V.

Progymnasmata Apthonij, quæ spectant ad genus deliberatiuum.

AD Genus deliberatiuum referuntur fabula, narratio, chreia, sententia, & thesis.

Art. 1. Fabulæ dispositio.

Fabularum est triplex genus.

FAbula est sermo falsus veritatem effingens.

Inter fabulas, aliæ sunt rationales, aliæ morale, aliæ mixtæ.

Rationales sunt, cum homo fingitur aliquid facere.

Morales, cum mores animalium exprimuntur.

Mixtæ, cum simul coniunguntur ea, quæ homini & bruto competunt.

Epimythium est moralis quædam conclusio totius fabulæ.

Fabula tractari potest vel simplici narratione, vel adhibita prolixiore amplificatione per Ethopœias & alias eiusmodi figuras. Fabulæ tractatio.

Fabula potest etiam aliquando habere aliquod pręmiumm, vel quodam veluti exordium. Haberi autem maximè debet ratio temporum, locorum, & aliarum circunstantiarum.

Possunt interferi descriptiones, quæ fabulam illustrent. Itaque hæc potest esse fabulæ dispositio, vt initium petatur vel ab ipsa fabulæ narratione, vel ab authoris laude, vel ab ipsarum fabularum commendatione: Deinde pargatur ad explicationem fabulæ, distinguendo eam multis figuris, quæ ei conueniant, videndum est autem ad quod genus causæ vel ad quam partem orationis, fabulam, de qua agis, referas, vt ex, Cicerone exempla tibi proponas.

Art. 2. Narrationis dispositio.

NArratio est rei factæ vel quasi factæ commemoratio. Narrat. definitio.

Triplex est Narratio, Poetica, Historica, & Ciuilis. Triplex narratio.

Poetica, rem fictam proponit.

Historica, rem gestam.

Ciuilis, rem quæ in controuersiam adducitur.

In

Narrat. sex desiderat.

In Narratione sex desiderantur.
1. Persona quæ rem fecerit.
2. Res quæ facta fuerit.
3. Tempus circa quod facta fuerit.
4. Modus quo facta fuerit.
5. Denique causa propter quam facta fuerit.

Dispositio narrationis eadem esse potest atque hæc paulò ante allata eorum quæ in narratione desiderantur.

Hoc progymnasma, cum narrationi conueniat consule narrationes Ciceronianas, & vide quæ superius dicta sunt de narratione.

Concionatoriæ narrat.

Hic obserua de narratione, quòd præter narrationem Rhetoricam, quadruplex aliud sit genus narrationis quod in sacras conciones incurrit. Primum genus continet res gestas vel in sacris literis, vel in vita sanctorum, contentas: Secundum genus additur amplificandi causa.

Tertium allegoriæ seruit; Quartum euangelicam historiam explicat.

Art. 3. Chreiæ dispositio.

Chreiæ definit.

CHreia, est commemoratio breuis facti, vel dicti alicuius personæ.

Chreiæ diuisio.

Inter chreia, aliæ sunt verbales, aliæ actiuæ, aliæ mixtæ.

Verbalis, ea est quæ dictum alicuius expli-

explicat, vt Plato dixit, *virtutis ramos dolore, laboribusque seri.*

Actiua, quæ factum alicuius proponit, vt Pithagoras interrogatus, quàm longa esset hominum vita palam prodijt, subitòque, se ex oculis spectantium eripuit.

Mixta, quæ vtrumque complectitur, vt Diogenes, cum puerum lasciuientem vidisset, pædagogum percussit. atque addidit *quid enim sic puerum instituis?*

Verbalis Chreiæ dispositio hæc est.

1. Laudamus dicti authorem. Verbalis chreiæ dispositio.
2. Dictum ipsum paraphrasi exponendum est, pluribusque verbis illustrandum.
3. Confirmandum est dictum per explicationem causarum.
4. Confirmandum per contraria.
5. Per similitudinem aliquam.
6. Per exempla.
7. Per testimonia veterum.

Denique concludenda est Chreia Epilogo.

Idem obseruatur in cæteris Chreijs, siue agatur de facto, siue de facto, & dicto simul.

Hoc progymnasma ad confirmationem referri potest. Consules ciceronis confirmationes, & de quibus ante dictum est, & locos Rhetoricos, qui hic adhibendi sunt.

Art.

Art. 4. Sententiæ descriptio.

Sententiæ definitio.

Sententia est oratio breuis sumpta de vita continens aliquid, quod ad hortandum, vel ad dehortandum pertinet.

Triplex est sententia.

1. Exhortans vt, *Deus colendus est.*
2. Dehortans, *vana sunt terrena voluptates, nec amore nostro digna.*
3. Enuntians, vt, *Filius sapiens letificat patrem.*

Sententiarum deuisio.

Hæc tres sententiæ, sunt etiam vel simplices, vel compositæ, vel probabiles, vel veræ, vel comparatiuæ.

Exhortans impellit ad aliquid faciendum.

Dehortans reuocat à faciendo.

Enuntians, aliquid tantum exponit.

Simplex, vnum continet.

Composita, duo aut plura.

Probabilis, rem non certam.

Cōparatiua vnum cum altero confert.

Hæc esse solet sententiæ dispositio.

Sententiæ dispositio.

1. Laudatur author sententiæ.
2. Exponitur sententia, et explicatur pluribus, vt dictum est in amplificatione locorum Rhethoricæ, et iterum dicetur in amplificatione periodi.
3. Afferuntur causæ, quare audienda sit sententia,

4. Ea-

4. Eadem causæ confirmantur à contrario.
5. A simili.
6. Ab exemplo.
7. A testimonio.

Denique concluditur epilogo.

Hoc progymnasma ad confirmationem refertur: consule locos Rhetoricos, quibus hic vtendum est.

Art. 5. Thesis dispositio.

THesis, est rei alicuius consideratio, vel consultatio. Thesis definit.

Consultationum aliæ sunt ciuiles, aliæ contemplatiuæ.

Ciuiles, actionem continent ciuilitati accommodatum, v. g. *an muni faciendi sint*.

Contemplatiuæ, solam rei contemplationem includunt, vt, *an cœlum sit corruptibile*.

In eo differt thesis, seu consultatio, ab hypothesi, quod thesis sit indefinita, hypothesis verò sit definita. Thesis diuisio.

Hæc esse solet thesis dispositio.

Si suadetur aliquid. Thesis dispoſit. in suasione.

1. Dignitas rei ostenditur.
2. Honestas.
3. Vtilitas.
4. Facilitas.
5. Necessitas, vide quæ superiùs de his allata sunt,

Deni-

Denique thesis concluditur epilogo.

Ad singula autem hæc argumenta interseri debent obiectiones, & solui.

Thesis dispositio. Exordium etiam pro rei qualitate afferendum est.

In dissuasionis. Si res dissuadetur, contraria erunt argumenta, seruato tamen eodem ordine.

Hoc progymnasma nulli parti orationis competit. Consule orationes Ciceronianas, quæ ad genus deliberatiuum pertinent, de quibus inferiùs.

CAPVT V.

Variæ orationes in genere deliberatiuo.

Art 1 Suasio.

Suasionis exordium. ORatio suadens sic disponitur, Exordium duci potest, vel à rebus ipsis de quibus deliberatur; vel à persona eorum, qui deliberationi præsunt, vel ab eorum persona, qui contrarium censuerant, beneuolentiam ipsorum sibi conciliando, vt ante dictum est in muneribus exordij; vel ab aliqua grauiori sententia, &c.

Propositio suasionis diuisio. Post exordium sequitur propositio rei, de qua deliberatio est, deinde diuisio rationum propter, quas, vel suadetur, vel dissuadetur v. g. gerenda res est, quia glo-

gloriosa est, quia necessaria, quia vtilis, quia facilis, quia iucunda est. A diuisione ne fit progressio ad narrationem, si tamen aliqua sit adhibenda; A narratione ad confirmationem propositionis quę fit ab honesto ab vtili, à facili, à necessario, à tuto, & à iucundo; hæc autem amplificatio peti potest à locis Rhetoricis qui dicuntur ab effectis, à consequentibus, à similitudine, à contrarijs, à minori, à maiori, ab exemplis, etc. Narratio.

A confirmatione fit transitus ad epilogum, qui totus est in hortatione ad rem faciendam, quæ suadetur.

Art. 2. Dissuasio, & consultatio.

ORatio dissuadens ratione opposita instituitur, ijdem tamen loci Rhetorici obseruantur. Dissuasionis dispositio.

Consultatio sic instituitur. Exordium duci debet, vel ab aliqua assentatione, si coram principe habeatur, vel ab amore suo erga patriam, vel ab vsu, et experientia sua rerum, si coram æqualibus, vel à rei veritate, et sanctitate, & si coram Pontificum cætu, &c. Deinde res in vtramque partem discutitur, comparatione facta rationum vtriusque partis, postea affertur propria sententia, & epilogo consultatio terminatur. Consultationis dispositio.

Art.

Art. 3. Hortatio.

Horatio non exiguam affinitatem habet cum suasione, de qua paulo superius: Immo pars eius est sæpissime. nempe epilogus: quare non tam argumentis nititur quàm affectibus Hoc tamen est discrimen inter suasionem, & hortationem, quod suasio satis habeat, si rem optimam factu esse ostenderit, hortatio verò etiam stimulos admoueat ad rem suscipiendam. Hi autem stimuli, quibus vti potest hortatio.

Hortationis argumenta. Sunt 1. Laus & gloria quæ ex re colliguntur.

2. Spes rei conficiendæ.

3. Commemoratio amoris eorum erga nos, pro quibus res suscipienda est.

4 Expositio miseriam eius de quo subleuando agitur.

5. Declaratio periculi, quod nobis vel alijs, aut patriæ imminet.

6. Proposita illustria exempla maiorum nostrorum, vel externorum in re non absimili.

7. Contemptus virium hostilium.

8. Commendata expectatio, quam ij, apud quos agimus, virtutis suæ moueerant, ob generis nobilitatem, ob indolem spectatissimam, ob præclare gesta, &c.

9. Adhi-

9. Adhibitæ preces, et obſecratio.
10. Commota indignatio per declaratam hoſtium inſolentiam,
11. Declarata vota populi, amicorum, patriæ, omnium gentium, etc.
12. Expoſita rei gerendæ neceſſitas propter pericula.
13. Adiuncta rei honeſtas.
14. Oſtenſum dedecus quod timetur, ſi res non ſuſpicatur.
15. Enumerata ea, quæ ad vtilitatem conferunt.
16. Denique demonſtrata rei gerendæ facilitas, &c.

Diſpoſitio huius hortationis ita fit.

Hortationis diſpoſitio.

1 Exordium ducitur à circunſtantijs vel rerum, locorum, perſonarum, vel eius qui dicit, vel eorum apud quos agitur.
2. Adhibetur aliquando inſinuatio pro vt ante dictum eſt, cum de inſinuatione.
3. Exponitur res, de qua quæſtio eſt.
4 Denique argumenta ducuntur ab illis capitibus, quæ mod ; ſunt prolata. Conſule Ciceronem in orationibus, quæ pertinent ad genus deliberatiuum.

Art 4. Dehortatio.

Dehortationis capita.

DEhortationis artificium, & diſpoſitio ſatis intelligi poteſt ex ijs, quæ dicta ſunt de hortatione; contrariorum

enim eadem eſt diſciplina. Addo tamen dehortationis capita ſumi.

1. A turpi, hoc eſt, oſtendendo turpitudinem in re facienda, vel non facienda, pro vt dehortatio inſtituitur, vide Philipp. 4. nu. 3. ab his verbis *nihil eſt profecto, &c* Philipp. 7. nu. 13. ab his verbis, *quam turpe porrò eſt*.

2. A contrario, hoc eſt declarando contrariam eſſe omnium ſententiam vide Philipp. 12. numer. 9. ab his verbis, *quid Galliam? quo tandem animo?*

3. Ab inutili, hoc eſt, probando ſperandum eſſe boni vide Philipp num. 7. ab his verbis, *quid enim per Deos immortales poteſt reipublicæ prodeſſe*.

4. Ab impoſſibili, hoc eſt, demonſtrando rem fieri non poſſe: vide Philipp. 12. num. 11. ab his verbis, *quid ſi ne poteſt quidem, &c.*

5. Ab expoſitione incommodorum, quæ timere oporteat: vide Philipp. 12. num. 16. ab his verbis, *quæro igitur à te ipſo, &c.*

6. A declaratione periculorum, quæ impendent, vide Philipp. 12. numer. 23. ab his verbis, *nihil memini de periculo*.

7. A religione, quæ violanda eſt, ſi res fiat, aut non fiat, pro vt fert dehortatio.

8. Ab authoritate ipſius dehortantis, ſi perſonæ illius ratio haberi debeat, vt Pa-

tris

cris in filium, imperatoris in milites, &c.

Art. 5. Commonitio.

CVm admouemus quempiam, cauendum est ne illum lædamus; blandus enim; ac prudens monitor vitiorum odium facit pretium virtutum. Quare commonitio ne vehementior, & molestior videatur, temperari debet.

1. Significatione amoris, & beneuolentiæ.

2. Declaratione vrbana, quàm, sponte in bonum ferantur ijs, quos admoniturus est orator. Cōmonitionis præcepta.

Hæc sit commotionis dispositio; exordium plenum sit amoris: narratio rem clarè subiiciat: confirmatio contineat argumenta ducta maximè ab honesto, vtili, & glorioso: peroratio denique exhortationem adhibeat.

Quod si commonitio coniungi debeat cum obiurgatione, inuehatur orator in ipsum vitium, non in personam.

Tractari potest commonitio per commiserationem erga eum, quem admonemus, hoc ferè modo, *quam miserat me tui Christiane, cum Deum deseris, &c.* Cōmonitionis tractatio.

Obserua 1. quod qui monet, authoritatem, & potestatem præ se ferre debeat.

Obserua 2. quod aliquando expediat

fingere tueri nos velle partes illius, quem admonere volumus, maximè si ferocior sit, scilicet vt leniatur priùs, quam moneatur.

Obserua 3. quod congratulatio nonnunquam præmittatur, vt laudis, & gloriæ studio captus is, quem moníturi sumus, lubentius monitiones accipiat.

Artt. 6. Commendatio.

Cõmendationis capita.

COommendatio, continet quidem laudationem, sed ad suadendum. Eius exordium liberum est, debet tamen esse modestum; confirmatio petitur ab adiunctis personarum, rei, temporis, loci, &c. Epilogus fere totus est *in obsecrationibus*, & significationibus amoris, vide quæ superius dicta sunt toties de adiunctis.

Art. 7. Incitatio.

Incitationis capita.

INcitatio plena esse debet artificij: plerunque continet descriptiones, prosopopœias & Ethopœias, quibus oculos quasi feriat, & animos inflammet.

Art. 8. Conciliatio.

Conciliationis capita.

COnciliatio fit, 1. exhibita quadam Maiestate corporis, 2. liberalis fortisque

tisque animi expressione, 3. amoris, & beneuolentiæ significatione. 4. Commendatione virtutis. 5. quęsita prudenter opportunitate, 6. accomodatione ad indolem, & statum illius, quem nobis conciliare volumus, vel alteri, 7. proposita spe, vel intentato metu.

Art. 9. Consolatio.

Consolationis hæc esse potest dispositio. Exordium, pro mali varietate, & pro ratione personarum ducetur, plerumque à laude fortitudinis, & sapientia, vel à modesta ingenij sui depressione, vel à commiseratione, vel à rationibus quę nos impellere debuerunt ad consolationem hanc suspiciendam v. g. ab affinitate, cognatione, amicitia, officio, &c vel à diuina prouidentia, cui nemo resistat sine crimine. Confirmatio probabit. Exordium consolationis.

1. Honestum esse, 2. recte factorum conscientiam doloris condimentum esse oportere, 3. gloriosam esse in aduersis animi fortitudinem, 4. vtilem esse calamitatem ad morum nostrorũ informationem, 5. felices eos esse qui huiusce vitæ miserijs soluti sunt, 6. rerum caducarum, & humanarum eam esse conditionem vt non diu permaneãt. 7. Non paucos esse qui eadem aduersa fortuna vtantur Confirmatio consolationis.

eademque incommoda patiantur, 8. aduersis illustriorem animum nostrum fieri, 9. non pauca esse similia exempla, 10. denique mortem viris probis transitum esse ad felicem vitam. Hæc autem omnia capita possunt amplificari eo modo, quo dictum est in amplificatione locorum Rhetoricæ.

CAPVT VI.

De Genere Iudiciali.

Art. I. De Genere Iudiciali in Communi.

GEnus iudiciale dicitur ex eo quòd in iudiciis, causis forensibus versetur: præter artem bene dicendi complectitur præterea scientiam iuris. Partes habet duas accusationem, & defensionem: finis in *accusatione*, est punitio, in *defensione* impunitas: de motibus consule secundam partem libri primi de inuentione, vbi agitur de motibus.

Multiplex est Genus iudiciale;

Quotuplex genus iudiciale.

1. Simplex, cum de re vna, seu de crimine vno agitur.

2. Coniunctum, quando plura genera criminum, vel plura crimina eiusdem generis discutiuntur.

3. Com-

3. Comparatiuum, quando quæritur quid æquius sit.

4. Anticategoricum, quando est mutua accusatio. Tale est genus orationis pro Milone. Milo enim aiebat sibi factas à Clodio insidias, aduersarius contra factas esse Clodio à Milone.

Materia generis iudicialis est id omne quod sub litem cadit, & iudicio potest determinari. Hoc autem vel est capitale vel ciuile: capitale versatur circa crimina, ciuile circa ius quod defenditur vel repetitur. Materia generis iudicialis.

Status generis iudicialis est causę constitutio, quando, v g. si factum non negetur, vis tamen illata negatur, vel non esse tale, quale arguitur, sed rectum, & iustum esse ostenditur. Status.

Addi possunt controuersiæ super scriptis, scilicet quod hoc vel illo modo explicari debeant, quòd hæc vel illa fuerit voluntas legislatoris vel scriptoris.

Denique quòd scriptis, alia scripta opponi possint.

Causa vocatur à Cicerone ratio, qua aliquid efficitur; Estque duplex in coniecturis, impulsio & ratiocinatio, Quibus fermè rebus facti suspicio confirmatur. Causa quid est?

Euentus complectuntur ea, quæ post rem actam remanent, suntque signa, vel stigia rei factæ. Hæc autem sunt vel an- Euētus quod sunt.

tecedentia. v.g. ad locum profectio, minæ, contentiones, iurgia, &c. Vel concomitantia, vt clamor exauditus, verba notata, occultatio cadaueris, vel denique consequentia, vt pallor in vultu, &c. de is iam alibi.

Explicatio circumstantiarum in genere iudiciali.

Circunstantiæ multum faciunt ad hoc genus iudiciale. Hæ autem sunt sæpius enumeratæ, *quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.*

Ad circunstantiam *quis*, hæc capita referuntur.

1. Natura, & conditio.
2. Patria, & Natio.
3. Patrem mores, conditio, & fortunæ.
4. Mores, & indoles ipsius hominis, de quo quæstio est.

Ad circumstantiam *quid*, pertinet criminis natura, & conuenientia illius cum eo, qui accusatur, vel discrepantia ab eo, qui defenditur.

Ad circunstantiam *vbi*, refertur opportunitas loci.

Ad circunstantiam, *quibus auxilijs* pertinent vires, instrumenta, conatus, arma satellitium, & cætera eiusmodi, vel contra, si defenditur.

Ad circunstantiam *cur*, referuntur causæ, quæ mouere potuerunt ad crimen. v. gratia spes vtilitatis, odium, ira, vindictæ cupiditas, & alia eiusmodi.

Ad

Ad circunstantiam *quomodo* modus, & series rei gestæ spectant.

Denique ad circunstantiam *quando*, pertinent temporis opportunitates.

Dispositio generis iudicialis ita se habere solet.

Exordium *Accusatoris*, seueritatis plenum est & odij: contra verò *Defensoris*, mansuetudinis, & clementiæ: vtrũque non parum artificij desiderat. Exordiũ generis iudicialis.

Post exordium sequitur Narratio facti perspicua, & probabilis. In *accusatione*, sæpiùs, quam in *defensione*, in hac enim, si narratio fiat, tota non affertur, nisi tota prosit: si tota noceat, tota omittitur, vel saltem resecanda sunt ea, quæ non prosunt.

Narrationem sequitur confirmatio, in qua non confuse, & conglobatè, sed singillatim proponenda sunt argumenta, vt pondus suum, vimque maiorem habeant; quæ desiderentur intelliges ex obseruationibus, quæ priùs allatæ sunt de locorum Rhetoricæ ad quasuis quæstiones propositas accomodatione pagin.73.

Confirmatio.

Confirmationis aut argumenta sic disponi debent, vt fortissima & validissima ad primam, & postremam orationis partem conferantur: quæ verò sunt minùs valida, veluti conglobata, mediam orationis partem teneant.

Ad quolibet validum argumentum adhiberi debet conclusio vehemens, vel interrogatione, vel exclamatione, vel Epiphonemate adhibito.

Confirmationis ratio. Confirmatio verò accomodari debet ad orationem aduersarij, valida enim Accusatoris argumenta, vel obruenda sunt digressionibus, vel plane non est illis respondendum, quasi leuiora essent. Quæ autem sunt leuiora, acriter sunt refutanda: vnde non parum ioci, & facetiæ prosunt. Multa etiam conglobanda, & inuoluenda sunt obscurè, sic tamen, vt ostendamus nihil nos timere vide quæ dicta sunt de confutatione.

Peroratio continere debet alios, atque alios motus pro genere causæ. v.g. odij, amoris, miserationis, lenitatis, & misericordiæ.

De his singularis actum est in dispositione partium orationis.

Art. 2. De speciali dispositione generis iudicialis.

Solemniũ causarũ exordium. Cõmuniũ exordium. IN Capitalibus causis, si sunt solemnes, ab hac solemnitate exordium ducetur, attentioque ac beneuolentia conciliabuntur: si sunt communes, orator ab ipso initio declarabit se habere dicenda, quæ facinus demonstrent, quamuis nec in commentarijs, nec in informationibus,

bus, vt vocant, contineantur, cætera vt pluribus passim dictum est.

In ciuilibus causis conciliatio breuis esse debet, & officio iudicis petitur. Narratio debet esse breuissima, perspicua: stylus requirit rationum grauitatem, non exquisitam sermonis pompam. Ciuiliũ causarũ disposi-tio.

CAPVT VII.

Progymnasmata Aphthonij.

AD genus iudiciale referuntur hæc Progymnasmata, Confirmatio, Confutatio, Locus communis, & Legislatio.

Art. 1. Confirmatio.

COnfirmatio, est rei propositæ comprobatio. Confirmationis dispositio.

Huius dispositio talis est, vt exordium sumatur à laude illorum, qui dictum, de quo quæstio est, protulerunt; Deinde sequatur expositio dicti, postea dictum ipsum confirmetur.

1. A manifesto, hoc est probando rem esse manifestam. Confirmationis capita.

2. A probabili, hoc est ostendendo rem esse probabilem.

3. A poſſibili, hoc eſt confirmando rem fieri poſſe.
4. A conſentaneo, hoc eſt probando quod res ſit conſentanea rationi.
5. Ab vtili, hoc eſt probando rem vtilem eſſe.

Denique epilogo concluditur.

Hoc progymnaſma refertur ad confirmationem: quare conſule, quæ priùs de illa dicta ſunt ſuo loco. *Singulorum* capitum exempla tibi poſſunt apud Ciceronem ſuppeditari.

Art. 2. Confutatio.

Confutationis diſpoſitio.

CONfutatio, quæ aliter dicitur refutatio, deſtructio, *ſubuerſio*, inuerſio, &c. Eſt rei propoſitæ reprehenſio, & improbatio. Ea autem refelluntur, quæ non ſunt omninò manifeſta, nec prorſus incredibilia.

Hæc eſt diſpoſitio confutationis. Exordium ducitur à reprehenſione eorum, qui dictum pronuntiarunt: Deinde ſubſequitur dicti expoſitio.

Confutationis capita.

Poſtea dictum refutatur.
1. Ab obſcuro, hoc eſt probando rem obſcuram eſſe.
2. Ab incredibili, hoc eſt probando rem eſſe incredibilem.
3. Ab impoſſibili, hoc eſt probando rem fieri non poſſe.

4. A diſ-

4. A dissentaneo, hoc est ostendendo rationi rem non esse consentaneam.

5. Ab indecoro, hoc est probando rem non decere.

6. Ab inutili hoc est declarando nullam vtilitatem esse in re, quæ probata est.

Denique Epilogo concluditur.

Hoc progymnasma pertinet ad confutationem de qua superius actum est, consule Ciceronem, vbi aliquid.

Art. 3. Locus communis.

Locus communis est oratio, in qua bona vel mala, quæ alicui insunt, amplificantur. Vocatur autem locus communis, quia conuenit omnibus ijs, qui participes sunt eius rei, de qua quæstio est, v.g. quæ dicuntur de peccato in genere, dici possunt de omni peccato singillatim sumpto v.g. de pigritia, &c. Loci cõmunis dispositio.

Hæc est dispositio loci communis. Vix habet exordium, sed initium ducitur à contrario cum expositione rei, vt auditor magis afficiatur. Postquam procemium ductum est à contrario siue boni siue mali, res, quæ amplificatur, pluribus exponi debet, deinde amplificatio ducitur.

1. A comparatione aliqua.

2. Ab

2. Ab expositione intentionis eius, de quo agitur.
3. A coniecturali digressione de vita præterita, vel futura eiusdem.
3. Ab exclusione misericordiæ, si contra reum agitur. Quartum enim hoc caput non additur, si quis laudatur: si tamen defenditur, addi potest probando quod sit facienda misericordia propter easdem rationes, ob quas scelerato deneganda est, sed in sensu opposito. Exscluditur autem misericordia.
1. A legitimo, hoc est ostendendo quod sic secundum leges, si negetur.
2. A iusto hoc est probando quod ius id postulet.
3. Ab vtili, hoc est dimonstrando quàm vtile sit eam negare
4. A facili, & possibili, hoc est ostendendo quod negari possit.
5. Ab euentu, hoc est exponendo quæ contigerunt; aut quæ consecuta sunt.

Art. 4. Legislatio.

Legislationis capita. Defenditur. Lex arguitur.

LEgislatio est legis latæ vel criminatio, vel defensio. Ita se habet eius dispositio. Post prœmium primum, & secundum fit expositio legis: deinde si defenditur argumenta duci debent, 1. ab legitimo hoc est ostendendo quod lata lex legitima sit, 2. ab iusto, hoc est

pro-

probando quod iusta sit, 3: ab vtili, hoc est demonstrando, quod plurimum vtilitatis contineat: si lex arguitur, argumenta ducuntur à locis contrarijs. Vtraque legis vel criminatio, vel defensio complectitur obiectiones, quæ aduntur ad singula capita, & soluuntur.

CAPVT VIII.

Variæ orationis in genere iudiciali.

Art. I. Accusatio.

SI quis magnæ authoritatis vir, vel cuiuscunque conditionis alter (modo apud æquales ageret) accusationis suæ exordium ducere deberet à remotione omni vel vltionis appetitæ, vel inimicitiæ, vel odij, vel cuiusuis praui affectus. Ita Cic. diuinatione in Verr. num. 5. ab his verbis, *Adductus sum iudices, officio, &c.* Accutionis dispos.

Verum qui patroni munere fungitur, vel quando reus infamis est, exordium ducere potest vel à miserijs temporis, & corruptis moribus, vel ab insolentia perditi hominis, vel à necessitate puniendi reum propter bonum publicum, vel à criminis grauitate, &c. vide quæ supe-

ſuperiùs dicta ſunt in exordio . Narratio robuſta magis eſſe debet, quam ad pompam inſtituta, vt ante dictum eſt. In confirmatione crimina ſingula colliguntur, acriter ſingula exponuntur, tabulæ proferuntur, teſtes inducuntur, explicantur facti circunſtantiæ proferuntur cauſæ adiuuantes, intentio exaggeratur præteritionibus argumenta læuioribus ſubijciuntur.

Peroratio denique iræ atque odij motus excitat.

Art.2. Apologia ſeu defenſio.

Defenſionis diſpoſitio.

DEfenſionis exordium petitur à circunſtantijs locorum, vt apud Cic. pro Cælio, *vel à circunſtantijs perſonarum*, vt pro Sextio, & Deiotaro, vel ab officijs collatis, vt pro Plancio, vel à perſona quæ defenditur, vt pro Archia, vel ab erroris confeſſione, vt pro Rabirio, vel clenmentia, & humanitate iudicis, vel perſona illius qui accuſat, declarando quod ex ira, otio, &c. accuſationem ſuſceperit, poſt exordiam ſequitur Narratio, quæ vt dictum fuit, cum egimus de narratione, in diſpoſitione partium orationis, iterum cum de diſpoſitione generis iudialis actum eſt, inſtitui debet.

Poſt narrationem pars potiſſima eſt cun-

cunfutatio, quia qui aduersarium refellit, æquitatem causæ suæ simul confirmat: hæc autem confutatio maximè vrget accusationis præcipua capita, quibus scilicet euersis, reliqua facile corruant. Vide quæ superius dicta sunt de confutatione.

Epilogus denique seu peroratio frequenter precibus vtitur. Lege superiùs allata de peroratione.

Art 3. defensio facti.

EXordium sumi potest à confessione ipsius facti, deinde proferuntur varia de illo iudicia. Postea explicantur eiusdem causæ v.g, quòd ex amore profectum fuerit, &c. Denique conclusio est, quod nihil te mere in facto, nihil non sapienter gestum fuerit. Dispositio defensionis facti.

Art.4. Defensio manifesti criminis quod excusatur.

EXordium peti potest ab hominum vano iudicio. Confirmatio rationes affert, quibus probatur id, quod arguitur aliquando licere, nempe datis occasionibus honestis: idem stabilitur à simili, & à pari. Postremo epilogus, quàm iustè crimen commissum exscussari possit, iudicandum relinquit. Dispositio excusationis criminis.

Art.

Art. 5. Inuectiua.

Inuectiuæ dispositio.

INuectiua est oratio mordax. Duplex esse potest, altera in personas ipsas, quæ rarior esse debet; altera in vitia, quæ frequentior esse non potest. *Sic instituitur*. 1. Exordium peti potest ab expositione sceleris, vt in Vatiniana apud Cic. vel à causa susceptæ accusationis vehementioris, nempè propter grauitatem sceleris, vt apud Cic. contra Pisonem vel à persona, quæ arguitur; vel à circunstantijs loci, & temporis. Narratio vitam omnem à puero discutit. Vide Vatinianam num. 18. Confirmatio criminis, *aut vitij prauos* omnes affectus ita percurrit, vt ostendat facinus repugnare pietatì, legibus diuinis, & humanis, patriæ moribus, maiorum institutis, &c. Adduntur, & amplificantur incommoda: denique ostenditur, quàm graui supplicio is dignus sit, qui accusatur; idque fit comparatione, & concitatione motuum, qui odium, & inuidiam illi conflare possint. In epilogo, seu peroratione vehementiores motus iræ, odij, inuidiæ, pudoris, &c. excitandi sunt.

Art.

Art. 6. Obiurgatio.

OBiurgatio fere semper est superioris ad inferiorem. Eeius exordium duci potest vel à causa obiurgationis, vel à vituperatione personæ, vel facinoris quod arguimus, vel ab atrocitate criminis, vel à rei turpitudine, &c. vel à spe decepta, vel à dubitatione vnde initium petatur, &c. Narratio rem subijcit oculis per hypotyposim, lege orat. pro Deiotaro num. 13. Confirmatio crimen exaggerat ab alijs conuenientibus locis Rhetoricis. Epilogus lenimentum orationi afferre solet, quod fit, si probemus obiurgationem nostram ab amore profectam esse, vel etiam si crimen reiciatur in prauum animi affectuúm vehementi orem, & ita excusetur, &c. Obiurgationis dispositio.

Art 7 Expostulatio.

EXpostulatio est de accepta iniuria, distinguitur à querela, quod hæc sit lenior, illa vehementior. Cauendum est in ea diligenter, ne non habita ratione personarum, loci, & temporis, non prudenter omnia, & considerate dicantur. In expostulatione, quantum fieri potest, excusanda est voluntas, Expostulationis dispositio.

signi-

ſignificandumque eſt nos male quiduis ſuſpicari, quam ingratum animum, & accepti beneficij non memorem: mirari nos tamen, vnde factum fuerit, vt culpa irrepſerit. Expoſtulationis exordium duci ſolet à commemoratione beneficiorum quæ in eum collata ſunt, de quo conquerimur, antequam narretur iniuria petitio excuſationis, & veniæ eam præmunire debet, vt modeſtior videatur. Confirmatio continet amplificationem iniuriæ; quod fit per hypotypoſes, & proſopopœias, &c. ac per explicationem adiunctorum, &c. Epilogus excitat motus miſericordiæ, clementiæ, metus, &c. prò diuerſitate argumenti.

Art. 8. Exprobratio.

Exprobrationis diſpoſitio.

EXprobatio ſic inſtituitur. Exordium ducitur ex abrupto, teſtem appellando conſcientiam illius, qui ſe ingratum præbuit. Narratio complectitur explicationem artificioſam tum beneficiorum quæ contulimus, tum iniuriarum quibus nos affecit. In confirmatione duo aguntur, 1. amplificantur collata beneficia, 2. illata iniuria exaggeretur, tranſeundo ab hypoteſis ad theſim de crimine in genere. Epilogus motum excitare debet timoris, & verecundiæ.

Art.

Art. 9. Comminatio.

COmminatio ſtylum habet conciſum, eiuſque exordium ducitur ex abrupto, requirit, amplificationes vehementiores, & communicationes, vide Diuinationem in Verrem. num. 41. ab his verbis *ita deos mihi velim propitios, &c.* vide etiam primam in Verrem num. 82. ab his verbis *nolite per deos immortales, &c.* Epilogus continet optationes, & adhortationes, ne ex odio comminatio proficiſci videatur.

Art. 10 *Deprecatio.*

DEprecatio non mediocriter conuenit cum defenſione: hoc tamen eſt inter vtramque diſcrimen, quod deprecatio ſit ſupplex, non verò ſemper defenſio, ſic poteſt inſtitui deprecatio. Exordium ſumatur, vel à qualitate criminis, cuius venia petitur, vel à perſona, pro qua deprecamur, vel à perſona eorum à quibus venia petitur. Nulla fere fit narratio, confirmatio dandæ veniæ ducatur 1. à perſonæ læſæ conditione & ſtatu, vt Hic pro Ligario numer. 15. ab his verbis *dicam plane Cæſar, &c.* numer. 38. ab his verbis *nihil eſt tam populare, &c.* Item pro Deiotaro numer. 40. ab his verbis

Deprecationis diſpoſitio.

bis

bis *non debeo Cæsar*, &c. Epilogus motus excitet vehementissimos misericordiæ.

CAPVT IX.

Vsus orationem Ciceronis in omni Genere causarum.

Art. 1. vsus orationum Cic. In Genere demonstratiuo.

ORatio in Pisonem, inuectiua est. Orat. pro M. Marcello, gratulatoria est.

Philippica 2. vituperatio est Antonij. Illius status est qualitatiuus, quæriturque, an iure agat Antonius quæ agit in administratione reipubl.

Philippica 4. inuectiua est in Antonium.

Catilinaria prima vituperatio est, Catilinæ.

Catilinaria 2. gratulatoria est de expulsione Catilinæ ex vrbe.

Catilinaria 3. Inuectiua est in Antonium.

Oratio 2. post reditum, gratiarum est actio ad quirites.

Oratio 1. post reditum gratiarum est actio ad senatum.

Actio-

Actiones in Verrem. 2.4.5.6.7. vituperationes sunt Verris.

Oratio pro lege Manilia partim est laudatio.

Oratio pro Archia Poeta partim est laudatio.

Art. 2. Vsus orationem Cic. in genere deliberatiuo.

ORatio de prouincijs consularibus deliberatio est; illius status est coniecturalis.

Philippica prima deliberatio est; eius status est qualitatiuus, quæriturque an omnia quæ in Cæsaris actis proferuntur, seruanda sint iure.

Philippica tertia suasoria est, & simul iudicialis: agitur enim in ea de pœnis, & de prœmiis.

Phillippica 5. deliberatio est; illius status est iuris: quęriturque an recte legati ad Antonium decernantur.

Philippica 6. hortatoria est vt populus Romanus libertatem suam tueatur.

Philippica 7. suasoria est belli: eius status est qualitatiuus.

Philippica 8. deliberatio est: eius status est definitiuus, quæriturque, an tumultus, an bellum sit appellandum, quod decernit senatus de persequendo Antonio.

Philip-

Philippica 9. deliberatio est: eius status est legitimus scripti, & sententiæ, quæriturque, an cum lex sit, vt in legatione interfectis statua ponatur Sulpitio mortuo in legatione Antoniana statua sit ponenda.

Philippica decima deliberatio est; eius status est coniecturalis, & quæriturque an M. Bruto Macedonia committenda sit, cùm eius potentia metuenda videatur.

Philippica vndecima deliberatio est; eius status est qualitatiuus, agiturque de imperatore deligendo propter damnationem Dolabellæ, qui in Asia hostilia arma circumferebat.

Philippica 12 deliberatio est; eius status est qualitatiuis, quæriturque an legati sint, qui missi sunt ad Antonium.

Philippica 13. deliberatio est, eius status est coniecturalis, quæriturque an tuta sit pax cum Antonio.

Philippica 14. deliberatio est; eius status est qualitatis absolutæ, quæriturque an fugato Antonio, cum pugnatum fuisset ad Mutinam, retinenda sint saga, victores appellandi sint exercitus imperatores, an victi appellandi sint hostes.

Oratio de pace suasoria est pacis & concordiæ inter Romanos ciues.

Oratio pro lege Manilia suasoria est belli.

Oratio

Oratio de lege Agraria dissuasio est legis Agrariæ.

Catilinaria 4. hortatio est vt de coniuratorum pœnis fortiter iudices sententiam dicant, & tacitè necandos esse persuadet.

Oratio pro Archia poeta consultatio est; eius status est coniecturalis, quæriturque? an sit ciuis romanus.

Oratio de Auruspicum responsis deliberatio est ad senatum.

Diuinatio in Verrem consultatio est, quæriturque an Cicero, An Cœcilius agere debeat contra Verrem.

Art. 6. Vsus orationum Ciceronis in genere iudiciali.

ORatio pro Sextio defensio est; eius status est iuris, quæriturque an vim publicam intulerit; negatur, immò probatur repulisse.

Oratio in Vatinium reijcit testimonium Vatinij contra Sextium: eius status est coniectura lis.

Oratio pro M. Cœlio defensio est; eius status est coniecturalis, quæriturque an venenum M. Cœlius pararit Clodio.

Oratio pro Corn. Balbo defensio est: eius status coniecturalis, quæriturque, an Licuerit Pompeio Balbum donare Ciuitate.

Oratio pro Milone defensio est ; eius status est coniecturalis, queriturque, an iure Milo Clodium occiderit.

Oratio pro C. Rabirio defensio est; eius status est Coniecturalis.

Oratio pro Q. Ligario defensio est ; eius status est qualitatis assumptiuæ.

Oratio pro Deiotaro defensio est ; eius status est coniecturalis, quæriturque an Cæsari Deiotarus insidias struxerit, & negatur.

Oratio pro A. Cluentio deffensio est.

Oratio pro Murena defensio est à criminatione Ambitus.

Oratio pro Flacco defensio est à crimine repetundarum ; eius status est coniecturalis.

Oratio pro P Sylla defensio est.

Orationis pro domo sua statu est iuris, quæriturque an iure in exilium pulsus fuerit Cicero, & domus iure consecrata.

Oratio pro Cn. Plancio defensio est ; eius statu est iuris, quæriturque an iure Ædilis factus fuerit Cn Plancius.

Oratio pro Pub Quinctio defensio est, eius status est iuris, quæriturque an bona Quinctij iure Nœuius possederit.

Oratio pro Sexto Roscio Amerino defensio est ; eius status coniecturalis est, queriturque an patrem occiderit.

Oratio pro Sexto Roscio Comædo defensio est.

Actio

Actio 2. in Verrem accusatio est.

Actio 3. in Verrem accusatio est: eius status est coniecturalis.

Actio 4. in Verrem accusatio est.

Oratio pro Fonte in defensio est à repetundis eius status est coniecturalis.

Oratio pro A. Cœcina defensio est

CAPVT X.

Triplex dicendi genus.

Art. 1. Oratoris sacri dicendi genus.

CErtùm est quod sacrum dicendi genus maximè diuinis spiritus sancti præceptionibus, & illustrationibus, indigeat; admittit tamen eloquentiæ præcepta.

1. In oratore sacro probitas desideratur, quia personam Christi sustinet. Oratoris sacri probitas, & eruditio

2. Idem orator sacer exercitatus esse debet præcipuè in lectione tum sacrorum codicum, tum sanctorum Patrum, quia vis eloquentiæ sacre, in his potissimum consistit. Nihil addo de vsu Philosophorum, Oratorum, & aliorum, ex quibus haurire possit ea, quæ orationem suam vel confirment. Quæ autem in testimonium ab oratore sacro proferuntur, ita

proferuntur vt cum reliquo sermone fluere videantur, ne concisa nimis, & interrupta oratio minus roboris, & momenti habeat.

Concinatorium dicendi genus multiplex est.

Primum est suasorium, vel *dissuarium*. Ita institui potest. 1 Exordium Auditores beneuolos, attentosque facit exposita dignitate vel necessitate *rei*, *de qua* dicendum est.

Oratoris sacri suasio vel dissuasio. 2. Nulla plerumque est narratio, 3. Propositio, & diuisio post exordium sequi debent. Propositio significat qua de re dicendum sit? Diuisio orationem in partes suas *diuidit*. *Confirmatio* ducitur vel ab vtili, vel ab *honesto*, *vel à iucundo* &c. vel contra. Vide quæ superius dicta sunt in dispositione generis deliberatiui. Peroratio duo continet. 1. Repetitionem argumentationum, vt dictum est in Peroratione. 2. motus, qui pro varietate argumenti concitandi sunt.

Addendum est. 1. quod si de virtute vel vita sermo fuit, perorata causa, modus sit ostendendus, quo virtus comparetur, & vitium conuellatur.

Addendum est 2. Quod habenda sit ratio populi, ad quem sermo fit, populus enim agrestis, & rudior vtilitate ducitur, vrbanus, & doctior honestate permouetur.

Secun-

Secundum genus dicendi concionatorium eſt demonſtratiuum.

Hoc dicendi genus eadem habeat capita, & eundem ordinem, atque ſuperiùs dictum eſt in diſpoſitione generis demonſtratiui: v. g. pro capitibus laudis alicuius ſancti *genus, parentes, patriam, naturæ dotes, educationem, fortunam, ſtudia dicta*, &c. plerumque tamen ſola inſignia facta, dictaque, aut miracula commemoramus, & amplificamus, vt dictum eſt in amplificatione; & præcipuè ad illorum imitationem auditores excitandos ſi de laude dicti quæſtio ſit., conſule quæ dicta ſunt de Chreia. Laudatio Sancti.

Tertium dicendi genus, quod familiare eſt, in Euangelicæ lectionis explicatione verſatur. Sic autem inſtituitur. 1. Euangelica lectio breuiter, ſed eleganter ac venuſtè explicatur. 2. Sequitur eiuſdem lectionis explanatio. 3. Eligenda ſunt duo, vel tria puncta, quæ diſcutiantur. Hic obſerua 1. eò vehementiores affectus forè, quo amplificatio maior fuerit: vnde pauca ſunt tractanda intra vnius horæ ſpatium; vel breuius, vt quod intendit concionator, id faciliùs conſequatur, obſ. 2. quæ ſeliguntur, pertinere ea maximè debere ad mores componendos, non ad ſeruiendum aut ſubtilitati, aut vacuæ curioſitati. 3. ad ſacram ſcripturam addenda eſſe, ſi fieri poteſt, Explicatio publica Euangelij.

ſanctorum Patrum teſtimonia, 4 quidquid vulgatum eſt nimis ac tritum, rariſſime vſurpandum eſſe, niſi aliqua inſigni expoſitione illuſtretur. 5 teſtimonij proferendi neceſſitatem vnam vt plurimum habere locum debere in concione. 6. Denique methodum explicandæ ſcripturæ ſacre fere eſſe per interrogationem cum aliqua ſui ſenſus dubitatione, an non alius ſit.

Quartum dicendi genus partes habet duas: altera eſt Euangelicæ lectionis explicatio: altera eſt ſuaſio vel diſſuaſio ſuaſio virtutis, diſſuaſio vitij.

Quintum dicendi genus eſt didaſcalicum, quod docendi gratia magis, quàm mouendi vſurpatur. *Sic inſtituitur.* 1. Oſtendit quid res ſit; deinde qualis ſit. Hoc eſt quales habeat affectiones.
3. Cauſas, & effectus affert; 4. Denique partes indigat: de his omnibus, & ſingulis ſuo loco dictum eſt.

Genus dicendi didaſcalicum. In hoc genere didaſcalico ſeruandus eſt doctrinæ ordo, qui poſtulat, vt primò tractentur ea, quæ ad conſequentium intelligentiam neceſſaria ſunt vel commoda. 2. vt à communioribus ad minùs communia, à facilioribus ad difficilia à magis notis ad minus nota, ab effectibus ad cauſas, ab ijs quæ ſub ſenſum cadunt ad ea quæ intellectu percipiuntur, progreſſus fiat.

Obſer-

Obseruandum est didascalicum genus includere sæpissime demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale, quapropter Oratori Ecclesiastico potissimum conuenit, quia cum explicat, modo laudat, modo vituperat, modo suadet, modo dissuadet, nunc accusat, nunc defendit, nunc denique confirmat, nunc refellit. Didascalicum concionatori conuenit.

Didascalici generis partes sũ quatuor, Didascalici generis dispositio.

1. Exordium, quod breue esse solet, totumque concionis argumentum complectitur cum apta transatio ne ad inuocationem Spiritus Sancti.

2. Propositio, quæ clara, breuis, & ad conciliandam docilitatem idonea esse debet.

3. Confirmatio seu probatio, quæ fulcitur religionis nostræ mysterijs, sacris paginis, & fere semper ab hypothesi ad thesim reuocatur. Nonnunquam additur aliqua confutatio.

4. Epilogus, qui continere solet enumerationem eorum, quæ tota concione dicta sunt, cum Apostrophe, partim ad Auditores, adhibitis interrogationibus, an non afficiantur, an non assentiantur; partim ad Christum Deum ad æternum Patrem, ad Spiritum Sanctum gratias agendo; nonnunquam ad Beatissimam Verginem, & ad Sanctos vt nobis opitulentur, aut suo nos fauore, & gratia apud Deum munire velint.

Art. 2. Magistratus dicendi Genus.

MAgistratus sunt, vel Cancellarius, vel primarius Præses supremæ Curiæ, vel in eadem Patronus Generalis, vel patronus regius in inferiori curia, vel præsides in prætorijs curijs, vel in comitijs delegati, vel prætores, vel denique populares magistratus, Quisque pro ratione suæ dignitatis, aut personæ quam agit, alio atque alio dicendi genere vtitur. Cancellarius regiam authoritatem, quæ saluti, quietique regni consulit, semper tuetur: cæteri pariter pro sua dignitate; à quibus omnibus, & singulis pro præstantissima sua dicendi facultate vias omnes eloquentiæ cum bona ipsorum venia, singularique gratia, nobis aperta esse ad imitationem in omni genere causæ profitebimur.

Art. 3. Oratoris priuati seu priuati, causidici genus dicendi.

HOc vnum est obseruandum successu temporis dicendi rationem in foro aliam speciem induisse, nunc enim in aduocato non parum requiritur modesta dicendi libertas, vt nihil timere videatur, sed in æquitate potiùs Iudicum non pa-

parum se confidere persuadeat. Hæc autem dicendi libertas alia esse debet in sene, & alia in iuuene.

His tribus dicendi generibus conuenire possunt quæ hactenus tractata sunt, & quæ sequuntur, ita tamen vt rei, qua de agitur, & aliarum circunstantiarum, vt sępius dictum est, considerata prudensque ratio habeatur,

---

LIBER IV.

Elocutio.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Art. 1. De verbis seu dictionibus.

ELocutio est pars Eloquentia tum verbis idoneis, tum sententijs ad inuentionem, & dispositionem accommodata, quare nec nimis compta esse debet, nec minus accurata, Elocutio duplex est, altera consistit in delectu verborum, altera in compositione orationis. Elocutionis definitio.

Verborum explicatio. Quod ſpectat ad verborum delectum tria requiruntur. 1. vt verba ſint v. g. Latina. 2. vt ſint perſpicua. 3. vt ornatum orationi afferant.

Latinitas. Si de Latinitate vel de quolibet alio idomate agitur, vtrumque poſitum eſt in puro ſermone: vel in eiuſdem linguæ elegantia.

Elegantia. Hæc autem elegantia duo postulat v. vt verba ſimplicia ſint propria illius linguæ, qua vtimur. 2. vt eadem verba ſimul coniuncta ſint conſequentia, hoc eſt ita coniungantur, vt nec genera, nec numeri, nec perſonæ, nec tempora, nec ſenſus perturbentur.

Perſpicuitas. Si de perſpicuitate quæſtio eſt, facile illa conciliabitur orationi, ſi verba 1. non ſint à communi vſu remota, vel non quærantur familiaria quibuſdam tantùm regionibus, aut artium propria. 2 ſi connexio verborum non ſit prolixior. 4. ſi virentur longiores interiectiones. 5. ſi multiplicitas innanis verborum non congeratur. 6. denique ſi verbum nullum, quod neceſſarium ſit ſubtrahatur.

Ornatus. Quod ſpectat ad ornatum, is duplex eſt, alter conſiſtit in verbis ſimplicibus, alter in verbis coniunctis.

Verba ſimplicia vel ſunt à natura, vel ſunt reperta, inter ea, quæ ſunt à natura, alia ſunt conſonantiora, alia grauio-

uio.

uiora, alia leniora, alia nitidiora, alia denique contrà.

Verba reperta, vel sunt inusitata, vel nouata, vel traslata: Inusitata, vel sunt Poetica, vel oratoria nouata; sunt verba de nouo conficta, traslata sunt inuenta propter linguæ inopiam. Nouantur verba. 1. similitudine vt sobolescere, vel imitatione vt boare, vel inflexione vt vinosus à vino &c. De verbis translatis seu tropis agetur postæa.

Art. 2. De structura verborum.

STructura, seu collocatio, seu compositio, seu constructio, seu syntesis est Elementorum, syllabarum, dictionum apta, & numerosa conuexio, vt lenis æquabilisque sit fluxus orationis.

Hæc structura tria complectitur. 1. ordinem 2. iuncturam. 3. numerum. ordo requiritur vt oratio nunquam decrescat, hoc est augeatur semper sententia. Iunctura non debet esse superstitiosa, nec asperior aut hiulca: numerus deniq; debet esse sine negotioso delectu, ne molestior videatur, de his singulis agetur infrà.

Hæc sunt obseruanda de vocabulorum structura, & compositione.

1. Habendus est dictionum delectus,

qui ex Ciceronis lectione, & probatissimorum Authorum vsu coligi poterit.
2. Non est satis, vocabula esse Latina, vel cuiusuis alterius linguæ vt constructio sit legitima; sed prætereà est attendendum ad vnius cuiusque dictionis vsurpatam connexionem.
3. Sic partes omnes orationis sunt componendæ, vt sensus non sit obscurus, nec quicquam perturbetur.
4. Diligenter obseruandus erit numerus in principio, in medio, & in fine periodi.

Art. 3. De pedibus Periodi.

HI pedes possunt esse in periodo.
Pæon 1. constans ex longa, & tribus breuibus, vt conficere.
Pæon 4. constans ex tribus breuibus, & longa, vt temeritas.
Dichoræus, constans ex 1. longa 2. breui, 3. longa, 4. breui, vt comprobauit.
Bacchius, constans ex breui, & duplici longa, vt solerent.
Antibacchius constans ex duplici longa, & vna breui, vt fecisse.
Creticus, constans ex 1. longa, 2. breui, & vltima longa, vt castitas.
Dactylus, constans ex longa et duabus breuibus, vt perdere.
Dispondæus constans ex quatuor longis, vt commendabant.

Mo-

Molossus, constans ex tribus longis, vt terrores.

In principio periodi non parum habēt concinnitatis pedes qui sequuntur.

Creticus, vt *Neminem* vestrum ignorare arbitror,

Pæon 1. vt, *at beneficio* sum vsus tuo

Pæon 4. vt *Leuia sunt* hæc.

Dichoræus, vt *non enim* potest natura.

Bacchius, vt *vehebatur* in essedo.

Antibacchius, vt *at quanta* merces Rhetori data est.

Molossus, vt *idem Verres* qui fuit semper.

Art. 3. De collocatione pedum in periodo.

IN medio periodi, et quando finiuntur singulæ periodi, vel earum interpunctiones seu clausulæ, vt numerosè cadant, hi possunt vsurpari pedes.

Pæon 1. et 4. vt vincat aliquando *cupiditas*. Vel, potuit hæc aliquando *conficere*.

Obseruabis præterea de medio, quòd cum plures erunt Pænones, tunc concitatior futura sit oratio, et plus habitura sit iucundæ volubilitatis.

In fine autem, vt cum voluptate claudatur periodus, hos pedes vsurpabis,

pabis, si videbitur. Hoc est periodum tuam terminabis.

Vel cretico, & Dichoræo, vt, cum exercitu, *& victoria conferatis*.

Vel choręo & molosso, vt *maximè laboraret*.

Vel cretico duplici, vt, in communionem tuorum *temporum contulit*.

Vel cretico triplici, vt, *perpeti turpiter maluit*.

Vel cretico & Dactylo, vt, *moribus consonet*.

Vel tribachy & spondæo, vt, *esse videatur*, vel *iucunditasque sapienti*.

Vel choræo & Dispondæo, vt in monumentis Maiorum *suorum sit interfectus*.

Vel iambo, & Dispondæo, vt, sed etiam gloriam per tales *viros infringendam*.

Vel denique, nè longiùs habeat obseruatio nostra. Triplici spondęo, vt victoriæ *sunt illustrata*.

Obserua tamen quòd hi pedes enumerati, non sint ad nauseam vsurpandi, sed ita in contextu orationis permiscendi sint vt non eorum nimis affectata cura videatur.

CAPVT II.

De Periodo.

Art. 1. De deuisione Periodorum.

PEriodus est quasi circuitus quidam, tum verborum, tum sententiarum, vocaturque à Cicerone ambitus, comprehensio, orbis, clausula, continuatio. Periodi definitio.

Non est autem semper vsurpanda periodus, nè fastidium pariat.

Cauendum est etiam diligenter nè vt expleatur, & iucundiùs cadat, voluaturque oratio inania, quędam vocabula repetantur, & quasi complementa numerorum congerantur Nam prout materia postulat, vicienda est oratio, vel soluenda.

Periodus duplex est: altera simplex composita altera, simplex periodus, ea est, quæ vno spiritu, & sine vlla membrorum, vel articulorum distinctione continuò profertur. Composita periodus, illa est, quæ constat membris, & interpunctionibus. Aliter diuiditur periodus vt infra sequitur. Periodi diuisio.

Inter periodus, aliæ pertinent ad verborum sensum, aliæ ad verborum structuram.

Perio-

Periodus aliquando ad oratoris *vocem*, et ad spiritum accommodatur.

Qualibet periodus multiplex, est, puta bimembris, timembris, quadrimembris etc. prout duo, tria, quatuor, et plura membra complectitur.

Periodus quadrata & rotunda. Quando periodus quatuor membra æqualia continet, quadrata dicitur. Cum autem quadrimembris sic describitur, vt duo posteriora membra duobus prioribus respondeant, ponique possint loco priorum membrorum; eodem sensum remanente, quia fit quasi circulus, rotunda appellatur. Exemplum sit pro A. Cæc. num. 1. *Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantùm in foro, atque in iudicijs impudentia valeret, non minùs in causa cederet A Cæcinna Sex Æbutij impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audacia.*

Partes periodi. Periodi partes sunt duæ altera vocatur membrum, altera dicitur comma, seu intercisio, seu articulus. Membrum

Membrũ periodi. est oratio perfecti sensus sed suspensi, hoc est, quo nondum tota sententia percipitur. Exemplum sit *Antequam Patres conscripti, dicam ea quæ hoc tempore dicenda arbitror, &c.*

Articulus, seu comma, seu intercisio

Articulus comma. est, cum vocabula singula inter punctionibus distinguuntur, oratione quasi cæsa in partes minutiores Exempl. *Acri,*

mo-

monia, voce, vultu aduersarios perterruisti.

Ex hac diuisione partium periodi oritur eiusdem distinctio: nam prout articuli ampliores sunt, vel angustiores; simplices, vel compositi; magni, vel parui, aliæ atque aliæ periodi distinguuntur.

Historiæ periodi districtiores sunt, oratoria ampliores.

Art. 2. Vsus periodi.

NOn est necesse semper orationem numeris adstringere, id enim si frequentiùs vsurparetur, fastidium, & satietatem afferret. Sed præsertim non est exquirendus numerus, & periodi comprehensio curiosiùs expolienda, cum doloris aliquid expromere volumus, vel haberi nobis fidem; quia notum artificium fidem imminuit.

Adhibenda est autem numerosa oratio, vel cum alicuius laudem dicendo persequimur, vel cum aliquid ornatiùs dicendùm est, vt plus habet dignitatis, quàm doloris. Quando vtendū est periodo.

Quando verò acrem orationem esse oportet, membratim cæsimque dicere maximoperè expedit. Vnde cùm aliquid narramus, si ornatus non desideratur, liberior, ac solutior esse poterit oratio.

Pe-

Periodus vtilis est potissimum in Exordijs, si de re maiori agitur: Item cum res amplificatur; postremo cùm nostræ orationis cursus terminatur.

Quapropter vt generatim de periodo afferatur quod ad illius vsum spectat, structura eius rebus omninò est accommodanda.

Cùm oratio moderata requiritur curandum est, nè membra periodi longiùs excurrant, sic tamen vt propter arctiores angustias ieiuna non videatur.

Vnum hic est obseruandum de vsu periodi, nempe quòd primò mente sententiam, quàm explicare volumus, accuratè concipere debeamus. Deinde illi comprehensionem, ac circuitum dictionum seu periodum tanquam vestem applicemus. Quare, cùm magna rerum seges suppetit, longiorem periodum esse oportet, cum tenuis est materia breuiorem.

Art. 3. Artificium amplificandæ periodi.

MVltæ nobis aperiuntur viæ ad periodum amplicandam.

Amplificandæ periodi ratio Prima.

Prima sit, Rei quam pertractamus definitio v. g. possem dicere simplici stylo, *vidimus curiam incendi*. Vt amplificatione vtar, vocem hanc *curiam* sic describam, vt quæ illi competunt, ornatè simul

ſimul componam, hoc modo, *vidi Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo &c. conceſſam vni ordini, inflammari, incendi, funeſtari.*

Secunda ſit, enumeratio partium diſtribuendo rem in ſuas veluti partes, & ſingulas deſcribendo, v. g. id datum ſit amplificandum *Omnes lugent Clodium* Sic hanc vocem in ſuas partes diuidam. *Clodij mortem æquo animo ferre nemo poteſt luget ſenatus, mæret equeſter ordo tota ciuitas confecta ſenio eſt, ſqualent muncipia, afflictantur Coloniæ i agri denique ipſi, tam beneficum, tam ſalutarem tam manſuetum Ciuem deſiderant.* Idem in qualibet materia fieri poterit. Secunda

Tertia ſit interpretatio dictionis quæ ſic ſe habeat, vt quod ſemel communioribus verbis diximus, id ipſum idem elegantioribus multis repetitis exprimamus, v. g. dictum ſit, *An verò iudices vos ſoli ignoratis?* Hoc idem aliter dicam. *Vos hoſpites in hac vrbe verſamini, veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ſermone Ciuitatis verſantur.* Alterum ſit exemplum. *Tu ingredi illam domum auſus es, tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædium* Tertia. Amplificandæ periodi ratio.

adium Dijs immortalibus ĕs illud importunissimum ostendere?

Quarta

Quarta via sit, auxesis seu augmentatio, siue congeries, seu incrementum, Quod tum fit, cùm multa vocabula quæ idem significant, cum aliquo semper incremento congeruntur. Vt, *abijt, excessit, euasit, erupit.*

Quinta

Quinta denique, & vltima sit per Adiuncta, & circunstantias rei, de quibus supra in libro de inuentione.

Art. 4. Amplificationis huius applicatio ad quamcumq; materiam.

Amplificationis methodus.

VErbi gratia, Hæc sit proposita materia ad periodum amplificandam, *Deum laudare nos oportet.*

1. Hanc vocem, Deum, per circunstantias enumeratas explicando Deo perfectiones amplificabimus.

2. Vocem hanc, *laudare*, multis alijs locutionibus explicare fusiùs oportebit, definiendo partes laudis, easque simul congerendo.

3. Hanc vocem, nos, quasi interpretabimur, significando quid simus.

Postremò verbum hoc, *oportet*, verbis alijs, & amplioris sensus efferre poterimus.

Diligenter tamen obseruandum est, amplificationem hanc periodi pruden-

tem

tem esse oportere, & ad personas, locum, tempusque accommodari, nè maior sit, & redundans.

Art. 5. Altera ratio amplificandæ periodi.

AMplificatur ètiam periodus. 1. Per periphrasim, hoc est per circumlocutionem, v. g. cum dicimus *Euersorem Carthaginis, & Numantiæ*, intelligimus *Scipionem*. Amplificandæ perioni modus Primus

2. Per Metaphoram, hoc est per similitudinem aliquam breuem, quæ rei, de qua loquimur, non inconcinnè conuenit, v g. vt significemus vim magnam Eloquentiæ, vti possumus his locutionibus, *flumen orationis*, *magna dicendi vbertas*, *vberima seges verborum*. Secundus.

3. Per allegoriam, & vt clariùs loquar per metaphoram continuatam. Tertius

4. Per mutationem locutionis, v.g. dictum sit, *Amo te maximè*, dicam aliter. *Amantissimus sum tui, effusissimè te diligo*. Et ita de cæteris. Quartus

5. Per enumerationem illorum omnium, quæ vox vna complectitur. Exempli grat. *Doctissimus est* Sic vocē hanc, *doctissimus*, explicabo. *Nullum est doctrinæ genus, in quo non præcellat, resque singulas, quarum habet intelli-* Amplificandæ periodi modus Quintus.

telligentiam, arteſque omnes ac diſciplinas, quas nouit, diſcendo perſequar.

Sextus. 6. Diuiſione rei in ſuas partes v. g. ſi velim ego laudare hominem propter eius bona, diuidam hæc bona in animi bona, corporis, fortunæ, &c. vel diuiſione cauſarum, quæ aut rem ipſam componunt, vel extra illam ſunt.

Septimus. 7. Enumeratione effectuum, & conſequentium, v g. Si de laude ſcientiæ agatur, dicam quos habeat effectus ſcientia, vel quid illam conſequatur: putà quòd ſcientia *ſapientem efficiat eum, qui illa ſit inſtructus*, quòd *illi magnam existimationem conciliet &c.*

Octauus. 8. Denique deſcriptione rei vel loci, v. g depingatur iratus aliquis, dici poterit quòd *ex oculis flammas emittat, ex ore conuicia euomat, fronte ſit minaci, ſuperbo ſit ſupercilio* &c. Si de loco quæſtio eſt, quòd *præclarus ſit ad aſpectum, quod amœnus, hinc ſurgat collis, illinc vallis latè pateat, vndique riuulus ſerpat* &c.



CAPVT III.

De Vocabulorum delectu.

Articulus primus, Obseruationes de verbis diligendis.

CVm non satis sit, periodum amplificare, nisi venustè id & ornatè fiat, cùmque posita sit elegantia omnis, & venustas in his duobus maximè capitibus, nempe in delectu vocabulorum, & in eorum compositione, quæ pro varietate figurarum magis ac magis arridebit; hic pauca duntaxat obseruabimus de ipsis vocabulis, vt posteà paulò pluribus, tùm de varia locutione Latina, tum de diuersis figuris disputemus.

Ergo primum sit, quòd superlatiuus gradus sonum habeat grauiorem, quàm positiuus; nomina verbalia, quàm non deriuata; composita, quàm simplicia, vt paucis dicam vocabula, quæ vim habent maiorem ad significandam bonitatem vel maliciam, quàm quæ vim habent minorem.

Secundùm, quòd leniora sint nomina positiui gradus quàm non deriuata, & simplicia; si tamen sordidum nihil, & abiectum redoleant.

Art.

Art 2. Compositio dictionum inter se.

QVod spectat ad compositionem inter se.

1. Fugiendus est concursus vocalium, quæ asperiorem faciunt pronuntiationem: quales essent duplex aa, duplex ee, duplex oo.

2. Vitandus est concursus consonantium durior, qualis esset inter c. & c: inter x & x.

3. Cauendum est nè sepiùs eadem dictio repetatur.

4. Aduertendum est nè crebrior sit compositio multorum synonymorum.

5. Curandum est nè vocabula inconcinnè transponantur.

6. Denique sic periodus numeris suis constrigenda est, vt prolixior non sit & fusior.

Art. 3. Ordo seruandus in collocatione verborum, & sententiarum.

1. CVm amplificatur pars aliqua periodi, quæ leuiora sunt, præponi debent grauioribus.

E contrario verò si velimus rei existimationem immunere, grauiora præponi debent leuioribus.

2. Ob-

2. Obseruandus est rerum naturalis ordo, dignitasque seruanda. v. g. viri laudes præponi debent laudibus fœminæ; diem præcedere noctem oportet; ortum solis, eius occasum.

3. Cauendum est accuratè, nè propter numerum vel aliquam aliam morosiorem elegantiam, ordo rerum perturbetur. Quare, quæ sequuntur, prudenter & vt res postulabit, vsurpanda sunt.

Art. 4. Obseruationes Ciceronianæ de collocatione dictionum.

1. Ablatiuus absolutè positus vel ante verbum vel in initio partis periodi collocatur.

2. Adiectiuum dissyllabum elegantiùs postponitur substantiuo polysyllabo.

3. Adiectiua quæ multitudinem significant, ornatiùs substantiuo postponuntur. *Virtutes omnes.*

4. Adiectiuum polysyllabum eleganter initium est, finis orationis.

5. Cognomina non inconcinnè proprijs nominibus præponuntur. Vt *Marcus Tullius Cicero.*

6. Comparatiuus, & superlatiuus substantiùs elegantiùs postponuntur. Vt, *virtus maior, virtus maxima.*

7. Comparatiuus venustè initium est & finis periodi.

 8. Nomi-

8. Nomina propria si polysylaba sunt, initio periodi collocantur.
9. Hoc adiectiuum, *nullus*, substantiuo postponitus.
10. Pronomen primitiuum, vt *ego tu se ille*, participio, & nonnunquam adiectiuo postponitur. Vt, *existimo sapientem illum esse.*
11. Verbum non infiniti modi, quod pollysyllabum est, eleganter initium est partis periodi. Vt, *excitat nos magnitudo* &c. *solet in mentem venire.* Aliquando etiam bellè claudit partem periodi.
12 Non semper necesse est, vt verbum sit in fine periodi: nomina enim quæ plures habent syllabas, verbis simplicioribus ornatiora sunt.
13. Verbum, *sum es est*, si comparatiuis vel superlatiuis coniungitur, rectè finem orationis occupat.
14. Cum narratur aliquid, tempus præsens elegantius est præterito.
15. Aduerbia nominibus adiectiuis non ineleganter postponuntur.
16. Coniunctiones sæpissimè initium periodi faciunt. Frequentiores sunt eiusmodi, *ac illud quidem* &c. *Ac mea quidem sententia. Neque verò, iam verò, sed etiam, & si, quamobrem, itaque, vt enim quisque, quin etiam, verum ego, verum enim verò; nunc igitur, qui ergo, nemo sane &c.*

In

In aduerbijs initium esse solunt periodi, *primum deinde, hinc autem &c.*

In pronominibus, *qui enim quis autem, quod quidem, quidquid, hoc enim, hoc perfectò, hæc autem omnia, quibus de causis, illud profectò, ego verò, mihi verò*, & similes locutiones, de quibus plura vsus edocebit.

Art. 5. Periodi Concinnitas.

CONcinnitas est numerosa verborum compositio ita facta, vt nihil factum esse de industria videatur: exemplum sit, *est enim, iudices, non scripta, sed nata lex quam non didicimus, sed accepimus, &c.* Quatuor efficiunt concinnitatem orationis, 1. Verba similiter relata, seu isocola; Similiter desinentia, aut cadentia; Paria paribus, Contraria contrarijs opposita.

Art. 6. Decorum oratorium.

DEcorum oratorium est aptè, & congruenter dicere tempori, personę, rebus, & alijs circunstantijs.

Hoc decorum duo requirit, 1. vt sententiæ sint appositæ, 2. Vt verba ijsdem conueniant.

Atque vt facilius decorum oratorum intelligatur hic breuiter agendum est de stylo.

CAPVT IV.

De Stylo.

Art. 1. Varium styli genus.

VArius est styli genus, pro varietate ingeniorum.

Quotuplex stylus. Stylus autem inflatus ille est, qui verbis, & sententijs plusquam pars est, intumescit, v.g. *Non poterit Atlas ferre cum Cœlo Herculem.* Vel, *Xerxes Persarum Iupiter, pro rege.* Vel *Virgines oculorum, pro pupillis &c.*

2. Cacozelus is est, qui nimium est imitationi addictus.

3. Frigidus, qui nihil habet quod altum sit, sed omnia humilia, & abiecta; vel tria, & communia.

4. Puerilis qui tumidum cum frigido sine delectu permiscet, nec connexionem habet in verbis suis, & sententijs.

5. Parenthyrsus, qui furori proximus est, totusque plenus est grandibus, & intempestiuis affectibus, & figuris, in re parua quasi insaniens.

6. Scholasticus, qui pluribus præceptionibus constringitur.

7. Poeti-

7. Poeticus, qui & ingeniosus est, & numeris pedibusque alligatur.

8. Allegoricus & periphrasticus, qui totus versatur in Allegorijs.

9. Miscellaneus, & antiquarius, qui eruditione nimia, & vt ita loquar, antiquitatis ruderibus asperior est ac molestior.

10. Humilis, in quo nihil est nisi humile, & abiectum.

11. Fluctuans, & dissolutus, qui non sibi cohæret.

12. Siccus, & exanguis, in quo vix reperias quod succum habeat, estque totus sine ornamento.

13. Acutus, qui constat ex breuibus sententijs. Hic quidem stylus non parum probari debet, nomen semper est vsurpandus

Denique Optimus, qui ad id quodcumque decet, rite accommodatur. Sic vt humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate dicat.

Optimus styllus triplex est.

Optimus stylus.

1. Grauis, constatque ex sententiarum verborumque magna, & ornata constructione.

Stylus mediocris.

2. Mediocris seu moderatus qui aliquãtulùm à graui stylo recedit, non tamen omninò delabitur ad infimum, quia huic stylo tum numeri tum elegantia omnis, & oratoria suppellex conueniunt. Hic

stylus vocatur à Cicerone epidicticus, floridus & magnificus.

Stylus infimus. 3. Infimus, qui & quotidianus est, & in puro familiarique sermone consistit, non tamen ornatu caret, & industria, & forte omnium difficilimus est ad imitationem: leniores requirit figuras, sed frequentiores sales, & Vrbanitatis lepores, quare à Cicerone, vt atticus stylus non parum prædicatur.

Quæ ad stylum requiruntur. Cuilibet stylo desideranda est perspicuitas, & verborum ad res ipsas accommodatio.

In stylo hæc requiruntur.

Grauitas orationis, asperitas in reprehensionibus, vehementia, splendor, vigor, amplificatio, pulchritudo, suauitas, celeritatis cum suauitate coniunctio, & acrimonia.

Art. 2. Stylis Vsus.

Generis demonstratiui. GEnus demonstratiuum stylum petit expolitum, & elaboratum, argutum, & concinnatum illustrioribus sententijs & verbis.

Generis iudicialis. Genus iudiciale postulat stylum in initio verecundiorem, sed acutiorem sententijs.

Narrationis. Narrationes quotidiano sermone concinnatum stylum desiderant, vt res credibilior sit,

In

In confirmationibus ſtylus eſſe debet vehementior, & figurarum luminibus motibuſque ornari. Confirmationis

Vt breuiter dicam, eligendus eſt ſtylus, qui auditores ita delectet, vt ſine ſatietate delectet.

Denique pueris ſtylus humilior conuenit, iuuenibus ardentior, & ornatior, viris ſolidior, & elegantior, principibus magnificus, & ſententijs amplior, grauior, & moderatior; Rhetoribus accuratior concionatoribus ſolidior, grauior, & ſanctior; Philoſophis ſimplicior, purior, validior; Sophiſtis denique arctior, & omnibus gratijs ac leporibus affluentior.



PARS SECVNDA LIBRI QVARTI

De Elocutione.

CAPVT I.

De Tropis verborum, & sententiarum.

Tropi definitio.

TRopus est mutatio significationis propriæ in minus propriam. Vt cum dicitur, *Prata rident*, à risu, qui homini conuenit.

Troporum diuisio.

Tropi diuiduntur in tropos verborum, & tropos sententiarum.

Art. 1. De Tropois verborum.

Tropi verborum definitio.

TRopus verbi est mutatio propriæ significationis illius in minus propriam.

Tropi verborum sunt septem Metaphora, Synodoche, metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, & Metalepsis.

Metaphora est propriæ significationis voca-

vocabuli in aliam minùs propriam propter similitudinem mutatio. Vt cùm dicitur, *læta messis gemmant vites &c.* Metaphoræ definitio.

Metaphora fit quatuor modis.

1. Cùm res inanimata sumitur pro inanimata. Metaphoræ rationes.

2. Cùm res animata sumitur pro inanimata.

3. Cùm rei inanimatæ tribuuntur ea quæ rei animatæ competunt.

Triplex esse potest causa Metaphoræ.

1. Necessitas.

2. Significandi vis maior requisita.

3. Ornatus orationis.

In metaphora quinque sunt fugienda.

1. Ne nimia sit dissimilitudo, vt cum dicuntur *cæli fornices*.

2. Nè longiùs ducatur similitudo, vt cum dicuntur *syrtes patrimonij*, dicendum esset potiùs *patrimonij scopulus*, quia scopulus notior est.

3. Ne humilior sit metaphora.

4. Ne maior sit quàm res exit. Non enim, quæ poetis permituntur, etiam & oratoribus permittuntur.

Synedoche est translatio significationis Verb. Gratia. Synedoches definitio.

1. Partis *pro* toto. Vt cum dicitur carina *pro* naue. Synedoches varij modi.

2. Totius *pro* parte. Vt cum dicitur bibere ligerim, *pro* aqua ligeris.

3. Vnius *pro* pluribus. Vt *hostis adest* cùm dici deberet, *hostes ad sunt*.

4. Plurium *pro* vno. Vt, nobis, *pro* me.

5. Speciei pro genere. Vt aqua sequanæ, pro omni alia.

6. Generis pro specie. Vt frigus pro hyeme.

7. Materia ex qua res facta est, *pro* re ipsa. Vt aurum *pro* patera ex auro confecta.

8. Denique antecedentium pro consequentibus. Vt, redit arator domum, pro aduesperascit.

Methonymiæ definitio rationes. Metonymi seu hypallage est translatio significationis. Exempl. gratia.

1. Causæ pro effectis. Vt, *Christus* est Redemptio nostra, id est, Christus est causa redemptionis nostræ.

2. Effectum pro causis. Vt pallida mors, id est pallidus mortuus.

3. Continentis pro re contenta, vt fœcundi calices, hoc est multùm vini.

4. Rei contentæ pro continente. Vt, fortis animus, id est, vir animo forti præditus.

5. Denique signi pro re significata, Et oliua *pro* pace.

Antonomasiæ definitio. Antonomasia, seu pronominatio est Tropus in quo nomen ponitur notum ex aliquo effectu vel euentu, pro verò nomine minùs noto. Vt cum dicitur,

tur. *Euersor Carthaginis*, pro *Scipione*.

Onomatopœia seu nominatio est Tropus in quo nomen aliquod fingitur quod ad rem ipsam accedere videatur. Vt cùm dicitur bombus, ad significandum strepitum apium. Onomatopœiæ definitio.

Catachresis seu abusio est Tropus in quo rebus non habentibus nomen accommodatur aliquod nomen quod ipsis conuenit. Vt cum dicitur *equus Troianus*, Catachresis aliquando conuenit cum metaphora. Catachresis definitio.

Metalepsis seu translatio est cum nomen vnum sumitur pro alio, ita tamen vt ex cognitione huius nominis prolati intelligatur ex consequenti nomen quod subintelligitur. Vt, *post multas arristas*, id est, *post multos annos*. Metalepsis definitio.

Art. 2. De Tropis sententiarum.

TRopus sententiarum est mutio propriæ significationis sententiæ in minùs propriam. Tropi sententiarum definitio

Tropi sententiarum sunt quatuor, allegoria, periphrasis, hyperbaton, & hyperbole. Tropi sententiarum quatuor.

Allegoria, Latine inuersio, seu permutatio est Tropus, seu oratio in qua aliud verbis, aliud sensu significatur. Vt cum dicitur *immensum spacijs confecimus æquor*, vel *in illis fluctibus concionū*

&c. allegoria excellens est cum similitudinis, & metaphoræ aliquid continet.

Periphrasis, Latinè circumlocutio est, cum id explicatur pluribus verbis, & quasi per circuitum, quod explicari potuisset paucioribus, & nude.

Hyperbaton, Latinè transgressio, est ordinis verborum perturbatio seruata tamen syntaxi. Vt *ingenti mele Latinus Quadrijugo vehitur curru* &c. vel *bigis it Turnus in albis* hic t:opus fit duobus modus 1. peruersione vt *maria omnia circum* &c. 2. transiectione vt *animaduerti iudices omnem accusator is orationem in duas diuisam esse partes* &c. sic apud Poetas *saxo cere comminuit brum*, pro *cerebrum*.

Hyperbole, Latinè superiectio: est Tropus seu oratio, in qua vel augendo, vel minuendo, significamus id, quod est, per id quod non est absolutè verum. Vt, *fulminis ocyor alis*.

Posset etiam addi Ironia, quæ est propriæ signficationis verbi in minùs propriam, per irrisionem mutatio. Vt, *ò militem*! ad significandum per irrisionem hominem ignauum. De ironia iterum infra in figuris sententiarum.

CA-

CAPVT II.

De figuris.

FIgura est conformatio quædam verborum, & sententiarum à communi ratione loquendi remota. Figuræ definitio.

Vnde, duplex est genus figurarum quarum aliæ sunt figuræ verborum, aliæ figuræ sententiarum. Duplex genus figurarũ.

Figura differt à tropo, quòd figura constare possit ex proprijs verbis, non verò tropus.

Art. 1. *De Figuris verborum.*

FIguræ verborum tribus maximè fiunt modis. Figuræ verborum.

1. Per adiectionem.
2. Per detractionem.
3. Per similitudinem.

Hæc decem figuræ fiunt per adiectionem, Conuersio, Repetitio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Polyptoton, Synonymia seu interpretatio, Polysyndeton, Polysyntheton, & Gradatio. Per adiectionem.

Quinque fiunt per detractionem, Synedoche, Dissolutio seu Asyndeton, Adiunctio seu Proto zeugma disiunctio, & Synœciosis. Per detractionem.

Octo

Octo fiunt per similitudinem vocum Paronomasia, similiter cadens similiter desinens, Isocolon, Antitheton, Commutatio, Correctio & dubitatio.

Art. 2. De figuris verborum quæ fiunt per additionem seu adiectionem.

CONuersio seu epiphora est figura, in qua Oratio sæpiùs finitur eodem verbo. Vt, *Diligentiam desideratis? diligentiam adhibet optimus scholasticus: modestiam requiritis? modestiam colit optimus scholasticus, &c.*

Repetitio seu anaphora est figura, in qua oratio sæpiùs inchoatur, ab eodem verbo, vt, *Quis hoc egit? quis hoc excogitauit? &c.*

Complexio seu symploce est figura complectens repetitionem & conuersionem simul vt *qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses: qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses: qui sunt qui Italiam deformauerunt? Carthaginenses.*

Conduplicatio, seu anadiplosis est cum idem verbum geminatur. Vt, *viuis, & viuis non ad deponendam audaciam &c.*

Hæc figura fit sex modis.

1. Idem verbum adiungendo.

2. Idem

2. Idem verbum repetendo in fine, atque in initio positum est.
3. Idem verbum conduplicando, sic vt media vltimis respondeant vel media primis.
4. Idem verbum repetendo, sed diuerso sensu.
5. Idem Verbum repetendo, sed post aliquam interiectionem.
6. Denique totam sententiam repetendo.

Traductio seu polce est figura in qua verba eadem paululum immutata sæpius repetuntur. v. g. *nihil habet in hac vita iucundius vita, vel amari iucundum est, si nihil sit amari.*

Polyptoton est repetitio eiusdem vocabuli diuersis casibus expressi. Vt, *tui me miseret, tibi cape, te serua incolumem &c.*

Polysyndeton est figura, in qua sermo multis coniunctionibus vincitur, vt *venitque, viditque, vicitque &c.*

Polysytheton est figura, in qua plures sententiæ articulorum conuenienti copia continentur. Vt, *quod in Catullo, & in filio, itemque in Quinctio Mancino vidimus &c.*

Synonymia, seu interpretatio est figura, in qua multa verba, vel sententiæ simul congeruntur quæ idem significant, cum aliquo tamen incremento.

Vt,

Vt, *abijt excessit, euasit, erupit*, vel *quæ cum ita sint Catilina perge, quo cœpisti: egredere aliquando ex vrbe, patent porta, proficiscere, &c.*

Gradatio, seu Climax est figura, in qua sensus veluti per gradus crescit, & ad vnum progreditur. Vt, *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit*, vel, *contemni se putat, despici illudi*.

Art. 3. De figuris verborum quæ fiunt per Detractionem.

Synecdoche, quando est figura verborum, est reticencia verbi vnius quod ex alijs facile intelligitur. Vt, *sed nos qui tandem*, vel, *dum ille clamat, ego expallescere*.

Dissolutio, seu dialyton seu asyntheton est figura, in qua multa componuntur sine coniunctione. Vt, *ite, ferte citi flammas, date vela, impellite remos.*

Adiunctio, seu protozeugma est figura, in qua multa ad vnum verbum referuntur. Vt, *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Disiunctio seu alyton est figura, in qua singulis sententijs verbum suum tribuitur. Vt, *vicit pudorem libido timorem expulit audacia, rationem amentia superauit.*

Sy-

Synœciosis est figura, in qua res duæ diuersæ vnico verbo coniunguntur, subaudito tamen eodem verbo, vel æquiualente. Vt, *tam deest auaro quod habet, quàm quod non* (subauditur, *ipsi deest*.)

Art. 4. De Figuris verborum quæ fiunt per similitiudnem vocum.

Similitudo, quæ in figuris verborum reperiri potest triplex est. Similitudo in figuris verborum triplex.

1. Stricta, & propria similitudo vocum.
2. Paritas.
3. Contrarietas, quæ ordine certo posita, similitudinis rationem habere videtur.

Paronomasia, Latinè Annominatio, est figura, in qua verba paululum immutata aliud atque aliud significant. Paronomasiæ modi.4

Hæc figura quatuor fit modis.

1. Litera vna detracta.
2. Additione syllabæ vel vocis.
3. Posita vna voce pro altera.
4. Translatione seu inuersione vnius literæ, vel in primis syllabi, vel in medijs, vel in extremis.

Exemplum primi sit, *Amore fecit, non more*.

Exemplum secundi, *Audendum*

an

an audiendum? vel *emit morte immortalitatem*.

Exemp. tertij, *opportet Iuuenem reprimi, non opprimi*.

Exemp. quarti. *Non huius orbis tantum, sed orbis est facere*, vel, *paruo est animo, ne dicam prauo*, vel, *vt Audax fuit in corripiendijs pecunijs, sic in spe corrumpendi iudicij*, vel, *Ex aratore orator factus est*, vel, *vincere non vincere oportet*, vel, *Sine impendio nescio quid impendit*, vel, *Non modo ignoscendi ratio sed etiam consuetudo sublata est*.

Similiter cadens seu Omœoproton est figura, in qua plura verba licet dissimilia, similiter tamen cadunt. Hoc est, nomina ijsdem casibus efferuntur, & verba ijsdem temporibus. Vt, *furentem audacia, scelus anelantem, peste Patriæ nefarie molientem &c.*

Similiter desinens est figura, in qua verba, nomina, vel aliæ partes orationis similiter desinunt. Vt, *si dixerit, si damnatus fuerit*, vel, *non modo aduolauit ad salutem eius extinguendum sed etiam gloriam per summum nefas infringendam*.

Similiter desinens differt à similiter cadenti, quod similiter cadens vbique admittat similitudines vocum: similiter verò desinens in fine tantùm orationis.

Iſocolon, ſeu compar eſt figura in qua rationis membra ſunt Pari ferè numero ſyllabarum. Vt *tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque diſperſum Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.*

Hæc figura aliquando fit per inciſa. Vt, *conſilio inueſtigaſſet, virtute, aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet*, aliquando tamen per membra pene paria, ad hanc figuram refertur tricolon quod tribus conſtat membris vt *vicit pudorem libido, timorem audacia rationem amentia &c.*

Antitheton, ſeu contrapoſitum eſt figura, in qua ſingula ſingulis opponuntur, Vt, *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Commutatio ſeu antimetabole eſt figura, in qua duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ita exprimuntur, vt à priore poſterior contraria priori proficiſcatur. Vt, *non vt edam viuo, ſed vt viuam edo.*

Correctio, quando ad verba pertinet, eſt figura, in qua verbum poſitum corrigitur, Vt *ciuis hic, ſi tamen ciuis dicendus eſt.* vel, *ego veni, aut potius aduolaui.* Hæc figura fit duobus modis. 1. ſublato tantùm priore verbo v.g. dicendo *ſi fas ita loqui eſt.* 2 loco vnius vocis altera repoſita, vt, *ſed*

ſtu-

stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite &c.

Denique dubitatio, quando ad verba pertinet, est figura, in qua orator quærit quid de duobus aut pluribus potissimùm dicat.

Art. 5. De Figuris sententiarum.

Figuræ sententiarum illæ sunt, quæ non in verbis, sad in ipsis rebus dignitatem suam collocatam habent.

Sunt 26. figuræ sententiarum, nempe Interrogatio, Responsio, Subiectio, Prolepsis, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Prosopopeia, Apostrophe, Hypotyposis; Aposiopesis, Ethopœia, Emphasis, Sustentatio, Prætermissio, Licentia, Concessio, Parenthesis, Ironia, Distributio, Permissio, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonema, & Exclamatio.

Quasi figuræ. Quædum addi possunt, quibus tamen Figuræ nomen non ita competit, verb. grat.

1. Dicti pœnitentia. Vt, *sed quid ego filium appellaui, qui parentem male sic habuit?*

2. Interrogatio de ijs quæ dicenda fuerunt proposita. Vt, *nunquid aliquid eorum omisi, de quibus acturum me permiseram?*

3. Igno-

3. Ignoratio ficta rei alicuius. Vt *quem tot scelerum authorem esse dicimus? inuenire profecto difficile est.*

4 Denique quasi depositio rei, quæ dicitur, apud memoriam auditorum, quæ postea reposcenda sit. Vt, *ea quæ dico retinete animo diligenter*, &c. deinde. *Recordamini eorum quæ ante non monueram.*

Hic de singulis figuris sententiarum.

Interrogatio est figura in qua orator interrogat quempiam, siue aduersarium siue alium quempiam. Interrogationis modi. 9.

Fit nouem modis.

1. Instando, Vt, *quo vsque ab vtere patientia nostra?*

2. Interrogando de eo quod negari non potest.

3. Interrogando de eo cui respondere sit difficile.

4. Fidem alicuius in inuidiam trahendo.

5. Miserationem excitando.

6 Admirationem mouendo.

7. Ingdinationem concitando.

8. Acriùs imperando.

9. Denique seipsum alloquando.

Responsio est figura, in qua interroganti vnum, aliud sibi respondet orator, quod vtilius est. Vt, *an hominem occidit, Latronem & parricidam.*

Subiectio est figura in qua orator

inter-

interrogat ſeipſum, & ſibi reſpondet, vel cum alium rogauerit non expectat reſponſum. Vt, *quæro unde iſte tam pecunioſus factus ſit? amplum patrimonium relictum eſt? at patris bona venierunt? hæreditas aliqua obuenit; non poteſt dici, &c.*

Prolepſis, ſeu Ante occupatio eſt figura, in qua orator id occupat quod ab aduerſario poteſt obijci. Vt, *nè à me petas quid factum fuerit, res multos habuit teſtes.*

Correctio, quando ad ſententias pertinet, eſt figura, in qua dictam ſententiam alia magis idonea corrigimus. Vt, *Italiam ornare, quàm ſuam domum maluit; quanquam Italia ornata ipſa mihi videtur ornatior*

Dubitatio, quando ad ſententias refertur, eſt figura, in qua orator quærit quid potiſſimum ex pluribus agere debeat; & ſingula quodam, modo refellit. Vt, *quid agam, Iudices? ſi taceo, exiſtimabitis me reum; ſi loquor, mendacem eſſe putabitis &c.*

Communicatio eſt figura, in qua vel aduerſarios, vel auditores, vel iudices conſulimus, vt pro Quinctio numer. 54. *ego pro te nunc hoc conſulo, &c.* pro Rabirie numer. 22. *tu denique Labiene quid faceres tali in re, ac tempore? &c.* vel, *nunc ego vos conſulo iu-*

dices

dices quid mihi faciendum putetis.

Prosopopęia est figura in qua orator fingit personam aliquam loquentem &c. vel etiam res inanimatas inducit loquentes, vt, *si nunc hæc vrbs inuectissima vocem mittat, non ne hoc pacto loquatur; Ego illa pluribus tropheis ornata* &c. vide infrà vsum huius figuræ.

Apostrophe est figura, in qua orationem nostram ad aliquos conuertimus. Vt, *te nunc alloquor Africane*, vel, *testor ego vos*, vel, *quid, moliebaris improbe?*

Hypotyposis est figura, in qua res perinde ac si gerentur, sub aspectum subijciuntur. Vt, *Gracchus euolat ex Templo Iouis sudans, occulis ardentibus*, &c.

Hic pertinere possunt plurimæ descriptiones Consule locum à definitione.

Aposiopesis est figura, in qua orationem nostram interrumpimus, vt affectũ aliquem significemus. Vt, *quos ego: sed motos præstat componere fluctus*, vel, *si ego te: sed ignoscere præstat.*

Ethopæia est figura in qua naturam alicuius certis indicijs, & signis describimus, vel est imitatio vitæ ac morum alienorum. Vt, *Pumex non est æque aridus atque hic senex, Si de suo camino exit fumus, diuum atque hominem clamat continuo fidem, cum it dormi-*

tum

tum follem obstringit nè quid animæ fortè amittat: aquam hercle plorat, cum lauat, &c.

Hæc figura pertinet tantum ad personas: hypothesis verò ad res quaslibet. Vide infrà vsum huius figuræ.

Emphasis est figura, in qua plus orator significat, quàm dicit.

Sustentatio, seu hypomone est figura, qua diu suspenduntur auditorum animi, nec clarè mens aperitur.

Prætermissio, seu riticentia, seu præteritio græcè apophasis est figura, in qua maximè dicimus, ea quæ nolle nos dicere fingimus Vt, *non dico mulctatos à te verberibus fratres, sileo violatam iniurijs matrem, taceo patrem affectum contumelijs.*

Licentia est figura, qua orator pro suo iure dicit aliquid apud eos quos metuere deberet. Vt, *vide quàm non reformidem cum, illo ipso, quem ego hac in causa iudice meum agnosco, qui me audit ac intuetur, me aliquando errore deceptum inimicitias exercuisse profiteri.* Cauendum est autem in hac figura ne quid offensionis moueatur.

Concessio est figura, in qua ferre aliquid vel concedere videmur. Vt, *sit sacrilegus, & vt felix sit*, &c. hoc tamen nolumus, iungitur aliquando hæc figura cum ironia.

Paren-

Parenthesis, seu interpretatio, seu interclusio figura est in qua breuiter declinamus à proposito. Vt, *videte, iudices, qualem (nolo enim grauiore appellatione vti) accusatorem in modium adduxerit.*

Ironiam, quando, est figura sententiarum, est fictio voluntatis, aliud sentiendo, & aliud innuendo, fit autem multis modis.

1. Pronunciatione.
2. Iocando.
3. Ridendo.
4. Seuere vel vafre loquendo.
5. Adhibita festiua dictione.
6. Rei vel personæ eleuatione.
7. Rem extenuando.

Distributio est figura, qua rem in plures partes distribuimus, quibus partibus sigillatim, quod ipsis competit, subiungitur, vt *accusatoris officium est deferre crimina, defensoris propulsare, &c.*

Permissio est figura, in qua cum fiducia aliquid permittimus Vt, *quod aquissimum videatur, permitto non enim vereor &c.*

Deprecatio seu obsecratio vel obtestatio est figura, in qua opem alicuius imploramus. *Vt per dextram te istam oro.*

Optatio est voti alicuius significatio. Vt, *vtinqm Quirites &c.*

Execratio est figura qua malum alicui precamur, Vt, *Dÿ te perdant fugitiue*.

Epiphonema est acclamatio quædam exhibita ad rem narratam vel approbatam. Vt, *tanta molis erat Romanam condere gentem*, hæc figura est veluti corollarium, vt aiunt, quod, quæ admirationem habent, complectitur, ita Cicero *facere enim probus adolescens periculosè, quam turpiter perpeti maluit, &c.*

Denique exclamatio est figura, in qua significamus aliquem affectum rei cuiuslibet compellatione. Vt, *ò tempora! ò mores &c.*

Art. 5. Synopsis Alphabetica figurarum, quæ ad superiora capita vulgò non referuntur.

ACyrologia fit cum dictio aliqua impropriè sumitur pro alia, v.g. *sperare*, pro *timere*.

Aganectensis seu indignatio, fit maxima pronuntiatione.

Allœosis fit cum inter personas aut res quid intersit discriminis, per enumerationem demonstratur.

Amphidiorthosis fit cum præmunimus viam ad dictum aliquod acerbum, & postquam prolatum, est, mitigamus.

Amplificatio eadem est, cum Auxesi.

Ana-

Anaclasis fit cùm dictum alicuius contra ipsius significationem intelligimus.

Anasceue seu destructio fit, cùm quæ aduersarius proposuit, distribuimus in partes, & redarguimus vt falsa.

Antiphrasis est cum dicimus quidem aliquid in speciem, negamus tamen re ipsa.

Antisagohe seu compensatio, fit cum aliud alio compensamus, v.g *si magnus labor subeundus est, inde magna oritur gloria*.

Antistasis est, cum idem verbum in contrario sensu repetitur. Vt, *una salus victis nullam sperare salutem*.

Antitheton fit 1. cum contra inter se conferuntur. Vt v. g. si de aliquo dicatur quòd *inhumanus*. 2. cum tempus opponitur temporis v.g *cum adolescens earum, gloriam consectabar; nunc senex factus, dedecore opprimor*. 3. quando sententiæ sententia contria profertur, 4. cum verba inter se pugnantia, aut paria paribus opponuntur, v. g. *domus deerat? at habebas, pecunia superabat? at egebas*.

Antizeugmenon fit, quando breuiter diuersa multa coniunguntur.

Apodoxis, seu Reiectio vel Reprobatio, fit quando ita prætermittimus aliqua, vt ea digna non esse ostendamus, quæ in quæstionem veniant.

Apoplanesis est quando, cum aliquid nobis contrarium, est, sic nos ab eo auocamus, vt vel illud obscurius faciamus, aut perturbemus, vel quando pollicemur nos quidem esse dicturos suo loco, aliò tamen orationem nostram conuertimus; vel quando *ita suspenduntur* iudicium, & auditorum animi, vel tanta rerum multitudine implicantur, vt videri facile non possit quid velimus.

Apostrophe seu auersio fit, cum vt liberiùs aliquid dicamus, orationem nostram ad alios conuertimus, vel iudices, vel aduersarios vel quemlibet alium interrogando.

Astysmus seu vrbana dictio fit, cum vrbanè aliquem compellamus verb. g. *Respicite respicite, iudices, hominum fortunas; respicite fabricij senectutem &c.*

Auxesis est, quando res aliqua amplificatione augetur.

BRachyepia seu breuitas fit, cum orator breui sententia auditoris expectationem pręuertit, verb grat. *Quares ex me quo iure mihi prater dederit possessionem bonorum*. Respondetur breuiter, *leges me defendunt*.

CHarientismus fit, cum festiuè aliquem pungimus.

Ciaston vel, Chiasmus fit quando senten-

tentiæ textura quaſi decuſſatur, vt, *Doctorum eſt ſantiſſimus, & ſanctorum doctiſſimus*.

Cohabitatio figura eſt in qua contraria ſimul coniunguntur, vel de Phœnice Lactantius, *ipſa quidem, ſed non eadem quia eſt ipſa, nec ipſa eſt.* vel, *æternam vitam mortis adepta eſt bono.* Vel, *ades, abeſſe vis: abes, reuerti cupis*: vel, *in pace bellum quæritas, in bello pacem deſideras*.

Conceſſio fit cum aliquid nos ferre fingimus, vel iniquum eſſe aſſerimus, concedimus tamen, vt æquitatem cauſæ noſtrę oſtendamus expromitur autem his verbis aut ſimilibus, *eſto, ſit ita, concedimus &c.*

Congeries eadem eſt cum ſynatroiſmo.

Contentio, fit quando contraria inter ſe comparantur, vt *maiores noſtri ſæpe pro mercatoribus aut nauiculatoribus iniurioſiùs tractatis bella geſſerunt: vos tot ciuium romanorum millibus vno nuncio atque vno tempore necatis quo tandem animo eſſe debetis? &c.*

Dialogiſmus fit cum quis ſecum agit vel dubitat an dicendum vel faciendum aliquid ſit, nec ne verbi gratia *dicam ne? quod faciam? quod eſt remedium? &c.*

Dialyſis fit cum ſine articulis ſenten-

tiæ multæ copulantur. Vt *Quid prodest defensionem cogitare? impetum in hostes facere? subire mortis discrimen? perire in pugna? &c.* Vel *debitum petebamus? non dissoluebat, mirabamur? contemnebat? lex nihil volebat, Magistratus negligebat, &c.*

Diminutio figura est, in qua quod in nobis vel in alijs inest egregium, vt vitetur arrogantiæ suspicio, imminuitur, exempl. sit, *pro meo iure iudices dico me labore, & industria curasse &c.* vel *vtrum auaritiæ causa aut egestatis accessit ad maleficium? auaritia? at largissimus fuit in amicos, quod signum liberalitatis est, quæ contraria auaritiæ est: egestatis? at huic quidem pater, nolo nimium dicere non tenuissimum patrimonium reliquit.*

Epanodus seu reuersio est, cum pluribus propositis breuiter, vel ad vnum tantùm, vel ad singula statim recurritur vt.

Diuellimur inde
Iphitus, & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo iam grauior.

Epibole duobus modis fieri solet; 1. cum pluribus sententijs vnum aut idem verbum præponitur. Vel licet varietas sit in verbis, eandem tamen vim inter se habent, quippe quæ ab vno verbo sæpiùs proficiscuntur. Exemplum prioris

ris est, *Misseremini mei iudices, quem coniurata tanta vis inimicorum oppugnat: Miseremini solitudinis, cui nec in summo quidem tempore periculi liberos adhibere ad communem calamitatem decernendam licitum est: Miseremini senectutis, quæ me etiam sine cæteris alijs malis grauiter defatigat.* Exemplum posterioris est? *Dolui, viri Athenienses, &c. ægrè tuli, &c. commouit me &c.*

Epicrisis fit, cum propositionis allatæ statim subijcitur ratio, Vt, *graue illud quidem est*, cuius ratio est. *Quomodò enim non esset graue contra patriam?* &c.

Epimone seu commoratio, est quando diutiùs in re aliqua, quæ causæ caput est, immoramur.

Epiplexis siue epitimesis fit, cum aliquem arguimus quòd aliquid fecerit, idque illi exprobramus. Vt, Cicero in Catilinam. *Patere tua consilia non sentis? quem nostrum ignorare arbitraris?* &c.

Epiploce fit cum ex prima sententia oritur secunda, ex secunda tertia, & ita deinceps. Vt, *hostis meus cum hominibus armtatis ad me venit; cùm venisset, sine vlla religione domum meam expugnauit; expugnata vi domo, familiam abstraxit, abstractam*

tormentis omnibus excruciauit, cruciatam vinxit, vinctam in publicum proiecit, &c. Cauendum est autem nè longiùs hæc figura procedat.

Epitrope fit cum videmur aliquid cõcedere aduersario quod tamen arguimus, verb. grat. *Quid expectas? proficiscere, iamdudum te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant.* Vel, ita nobis confidimus, vt auditoribus statuendum, quod visum fuerit permittamus. Exemplum sit, *iam iudices summum ac legitimum quod exposui meæ causa, ius omitto, vobis, quod æquissimum videatur, vt constituatis, permitto: non enim vereor &c.*

Ethologia fit cum mores alicuius oratione nostra exprimimus. Vt *arbitrabar ego filium ad patrem dissoluto vultu venturum, lachrymis patrem suum oppleturum, supplicem precaturum, obsecraturum, blanditia sua quod petisset à patris mollitie impetraturum. Sed hic longè aliter, namque incredibili confidentia armatus ad patrem aduolauit vt hostis atque initium sermonis sui cum iurgio sumpsit.*

Excitatio fit quando languentem auditoris animum vel tœdio affectum excitamus.

HYpexæresis est, quando in comparatione rerum aut personarum,

exci-

excipimus aliquas, cum quibus compa-
rationem nullam inire volumus.

Hysteorologia est quando id quod prius esse deberet, fit posterius. Vt.

Torrere parant flammis, & frangere saxo.

Priùs enim franguntur fruges, quàm coquantur.

Leptologia est quando res per minutissima quæquæ exponitur.

Methabasis fit cùm proposita aliqua sententia, conuertimur ad personam, aut rem, tanquam nobis præsentem. Exemplum sit; *Opulentissimus erat, omnibus delicijs circumfluebat, amplissimus eius erat comitatus, &c. Nunc contra subito, & graui casu afflictus, vix obulum habet, vix miseriam serui conditionem retinet. O fortuna! quam vehementer te rerum varietas oblectat!* &c. Fit etiam Methabasis cum ad id, quod demonstrare institueramus, post aliquam digressionem reuertimur.

Paradiastole est, quando vocabulum pro dissimili vocabulo vsurpatur, & assignatur distinctio quæ interest. Exemplum sit; *nam cùm cæterorum opinionem fallere conaris, te te fustraris, non enim probas te pro astuto sapientem intelligi; pro confidente fortem, pro maleuolo seuerum &c.*

Paromologia fit, quando aduersario aliquid concedimus, maius, tamen aliquid inferimus postea, per quod aduersarij argumenta infirmamus. Exemplum fit, *Sume hoc ab iudicibus, quòd nemo te proprior cognatus fuerit, te fuisse concedimus; sed quid contra testamentum dicis?* &c.

Pleonasmus est quando vox vna vel plures adduntur, non tam vt res enuncietur, quàm vt vis orationi addatur v. g. *Marcus Cato ille*. Hæc vox, *ille*, non videtur necessaria, sed auget significationem.

Præcisio figura est, in qua dictis quibusdam, reliquum, quod cœptum est dici, relinquitur auditorum audicio, vt *prudens lector intelligis quid taceam, & quid magis tacendo loquar*: de vitijs sermo fuerat.

SArcasmus est, quando aliquid quod turpe est, non sine dicacitate significamus.

Streptolyton est quando periodus constat ex multis reciprocis sententijs, diuersimodè tamen inter se contextis. Vt, *ciuitas est vt iustis fortior, sic fortibus æquior; aut potiùs iustis omninò iustior, & violentis omnibus potentior*.

Synatroismus est, quando multa simul sine coniunctione congeruntur, Vt, *quis hæc simul vniuersa perpeti*

peti possit, timorem, morbum, senectutem, contumeliam, inopiam, vim &c.

TApinosis est, quando rei alicuius dignitas humiliate verbi deprimitur.

Tautologia est, quando vnius nominis, aut verbi priùs positi vis deinceps pluribus verbis explicatur. Vt, *Senatus, Populique Romani summum consilium, à quò ordine iura extera nationes petunt*. Hæc duo extrema, *summum consilium, & à quo ordine*, idem significant atque Senatus.

Art. 6. Diuisio Figurarum per Epitomen.

1. INter figuras aliæ docent, aliæ delectant, & aliæ flectunt. 1. Diuisio figurarum. Figuræ quæ docent.

Docent occupatio, confessio, præsumptio, depulsio, compensatio, subiectio, communicatio, concessio, sustentatio, interpretatio, correctio, congeries, antithesis, prætermissio, oppositio suppositio, directio, distributio &c.

Delectant comparatio, similitudo, descriptio, hypotyposis prosopopœia, dialogismus, sermocinatio, collocutio, Apostrophe, hyperbole. Quæ delectant.

Flectunt denique exclamatio acclamatio siue epiphonema, reticentia, de- Quæ flectunt.

precatio, obsecratio, optatio, salutatio, comminatio, imprecatio, admonitio, licentia addubitatio, commoratio, expolitio, interrogatio, vexatio, seu instantia, occupatio, submissio, derisio, subiectio, admiratio, sponsio &c.

2. Diuisio figurarum. 2. Vel diuidi possunt in figuras, quæ positæ sunt in conformatione alicuius imaginis; in figuras quæ verborum repetitione continentur, & in figuras quæ in dictionum nexu & quadam gratia concinnitatis versantur.

Figuræ quæ in imaginibus positæ sunt. Figuræ, quibus imagines exprimuntur, vel vno, vel pluribus verbis conficiuntur: si vno verbo, sunt metaphora, Antonomasia, epithetum, periphrasis, synonymia; si pluribus verbis, sunt similitudo parabolica, Prosopopœia, Ethopœia, descriptio, distributio, antithesis, contentio, antisagoge, vide singulas suis locis.

Figuræ quæ in repetitione positæ sunt. Figuræ quæ repetitione continentur sunt anadiplosis, anaphora, conuersio, complexio, traductio, allusio, commutatio.

3. Vel figuræ diuiduntur in figuras, quæ faciunt ad ornatum periodi; in figuras, quæ ad grauitatem orationis conferunt; in figuras, quæ vt ita loquar velitationi, & certamini commodæ sunt; postremo in figuras, quæ affectibus inseruiunt.

Fi-

Figuræ periodi sunt Asyntheton Polysyntheton, similiter cadens, similiter desinens, disiunctio, adiunctio, coniunctio, Isocolon, seu compar. Figuræ periodi.

Figuræ grauioris orationis sunt, diuisio, expeditio, descriptio, gradatio, frequentatio, ratiocinatio. Figuræ vehemẽtiores.

Figuræ velitationis, & certaminis sunt occupatio, sustentatio, licentia seu libertas dicendi, communicatio, concessio, permissio, ironia, epiplexis seu grauior increpatio, reticentia, allegoria, correctio. Figuræ velitationis & certaminis.

Figuræ affectuum sunt, exornatio exclamatio, imprecatio, sermocinatio, Prosopopœia, Apostrophe, aporia: vide singulas in priori diuisione figurarum, & in earundem sequenti vsu. Figuræ affectuũ.

CAPVT III.

Accuratio vsus troporum & figurarum.

Art. I. Vsus troporum.

METonymia vsurpatur vel in laude, vel in vituperio, vel etiam cum rem innanimatam oculis subijcere volumus

mus. Vt cum dicitur à Cicerone orat. pro lege Manilia num 30. *Testis est Africa, testis est Gallia.* Vbi Regio ipsa pro incolis sumitur.

Alterum sit exemplum 1. in Verr. nu. 3. *Quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset.* Vbi vitia pro ipsis sceleritatis personis sumuntur.

Ironia adhibetur cum aliquem irridemus; vel cùm, nè illius argumenta valeant, ea in risum conuertimus, id autem fit multis modis, Vt ante dictum est. Lege hæc quæ sequuntur exempla apud Ciceronem.

1. Verrina 6. num. 86. *Erat hyems summa, &c. cùm ipse imperat lictoribus vt sopatrum &c. præcipitem deijciant &c. virgis ipse caderet sine causa socium populi Romani atque amicum non vsque eò est improbus non omnia sunt in eo vno vitia, nunquam fuit crudelis, leuiter hominem clementerque accepit.*

2. Pro Rabirio num. 13. ab his verbis. *Namque hæc tua quæ te hominem clementem popularemque delectant &c.*

3. Pro Cluentio num. 3. *Facite enim vt non solùm mores eius & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam vsque ad talos demissam purpuram recordemini &c.*

4. Pro

4. Pro Milone num. 20. *Stulti sumus qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus. P. Clodij mortem aequo animo nemo ferre potest, luget senatus, mœret equester ordo, tota ciuitas senio confecta est, squalent municipia &c.*

5. In Pisonem num. 58. *Non est integrum Cn. Pompeio, consilio tam vti tuo: errauit enim, non gustarat illam tuam Philosophiam; terram homo stultus triumphauit &c. ò stultos Camillos, Currios, Fabricio &c. nullius consilij patres &c.*

Metaphora non parum confert vel ad laudem, vel ad vituperium Exempla sunt bene multa apud Ciceronem egregia, hæc paucorum initia accipe.

1. Pro Sextio num. 46. *Cùm verò hanc in Reipup. nauem ereptis senatus gubernaculis fluctuantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum incursura tot classes viderentur, &c.*

2 Orat. in Vatinium, num 4. *Repente enim te tamquam è latibulis, oculis eminentibus inflato collo, tumidis ceruicibus intulisti &c.*

3. 12. Philippica, num. 20. *Qui ex naufragio luculenti patrimonij ad hæc Antoniana saxa proiectus es &c.*

4. Orat. contra Verrem. num. 4. *Mi-*

nandum in modum canes venaticos diceres, ita odorabantur omnia & peruestigabant, & perscrutabantur: si quod erat grande vas &c.

Allegoria vsurpatur ad delectationem. Est autem suauior, cùm à rebus corporeis ad animum transfertur, v. g. vel cum à feris, vel cum ab arboribus, vel cum à rebus artificiosis, & alijs eiusmodi ducitur. Exemplum sit in Pisonem, num. 2. *Neque tam fui timidus, vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauem gubernassem, saluamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum, collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem,*

Alterum sit orat. pro Murena num. 35. *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio Comitiorum? &c.*

Tertium sit pro Milone, num. 32. *Cuius illi conatus, vt ille ratiocinatur, cùm tantum beneficium ei se debere arbitrarentur, & si vellent fortasse, vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam.*

Vltimum sit pro Cœlio, num. 75. *In hoc flexu quasi ætatis, fama adolescentis paulum hæsit ad metas &c.*

Epi-

Epitheton non parum affert ornamenti, si sit accommodatum rebus, & nominibus. Vt, *Turbulentissima tempestates extiterunt*.

Synecdoche, vt est Tropus, non parum habet momenti, cùm scilicet pars pro toto sumitur, Vt, O *tecta ipsa misera*! Vel cum pro genere species vsurpatur. Vt *Etenim si summi viri complurium sanguine non modò se non contaminarunt; sed etiam non estraunt, certè verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida Ciuium interfecto, inuidia mihi in posteritatem redundaret*.

Vel denique cum genus pro specie vsurpatur. Vt, cum Cicero Clodium appellat *funestum animal ex nefarijs sturpis, ex Ciuili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impuritate concretum*. Antonomasia adhibetur vel propter penuriam alicuius vocis, vel ad ornatum. Vt, cum dicitur *malorum esca*, pro *voluptate*. Vel ad dissimulationem, ne clariùs res intelligatur, vel ad indignationem, vt cum aliquis vocatur, *bellua, pestis furia*.

Hiperbole adibetur vel vt aliquid augeatur, vel vt minuatur; vel ad laudem, vel ad vituperium. Additur aliquando dicacitas breuior, & accutio. Exemplum

plum sit in vituperium orat 7. in Verrem num. 144. *Versabatur in Sicilia longo interuallo alter non Dionysius ille, nec Phalaris, sed quoddam nouum monstrum ex vetere illa immanitate quæ in ijsdem locis versata esse dicitur, non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam &c. Cyclops alter &c.*

Alterum sit exempl. etiam in vitup. Philipp. 2. num. 67. ab his verbis. *Quæ Charibdis tam vorax &c.*

Tertium sit orat pro Roscio, num. 20. (quod exemplum festiuè tractatum est,) ab his verbis. *Oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se vtriusque conferte: qui non nostis faciem vtriusque considerate: nonne ipsum caput & supercilia ipsa penitus abrasa olere malitiam &c.*

Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis, Periphrasis, & hyperbaton nihil speciale habent.

Art. 2. Vsus figurarum, ac 1. earum quæ fiunt per Additionem.

CONuersio valet ad motum excitandum. Item, & Repetitio, multoque magis complexio ex vtraque superiore constans.

Exemplum sit Repetitionis. *Nihil ne te nocturnum Præsidium Palatij, nihil*

nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil ora vultusque mouerunt?

Exemplum sit complexionis. *Sed quæstiones vrgent Milonem, quæ sunt habitę nunc in atrio libertatis? quibusnam de seruis? rogas? Publij Clodij? quis eos postulauit? Appius, quis produxit? Appius. vnde? ab Appio.*

Hæ tres figuræ vsurpantur quoque ad exaggerandam virtutem, aut vitium amplificandam.

Conduplicatio vsurpatur vel vt oratio sit vehementior, vel vt sit suauior.

Exemplum sit prioris. *Viuis, & viuis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam.*

Exemplum posterioris sit *Non sum prædicaturus quantas ille res domi militiaque, terra mariaque quanta felicitate gesserit; vt eius semper voluntatibus non modò ciues assenserint, socij ob temperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.*

Hæc figura nonnunquam includit parenthesim, post quam vox eadem repetitur. Vt, *Totum hoc quantumcumque est (quod certè maximum est) totum, est inquam, tuum.*

Repetitio vsurpatur vt oratio sit vehe-

vehementior, iungiturque sæpe cum interrogatione. Vt, *Nihil nè te nocturnum Præsidium Palatij, nihil vrbis vigiliæ, &c.*

Alterum sit exempl. *Quid hæc amentia, quid hæc festinatio, quid hæc maturitas tanta significat; Non vim non scelus, non latrocinium, non denique omnia potiùs quam ius, quam officium, quàm pudorem?*

Adhibetur etiam ad delectationem, & ad motum.

Præclarum exemplum sit orat. pro Quinctio, num 52. *Ad vadimonium non venit, quis? socius: etiam grauius aliud ei deberes concedere, qui cum te aut voluntas congregasset aut fortuna coniunxisset. Ad vadimonium non venit, quis is qui tibi prastò semper fuit &c.*

Alterum sit exemplum pro Flacco, nu. 102. *O nox illa quæ penè æternas huic vrbi tenebras attulisti, cum Galli ad bellum Catilina ad vrbem, coniuges ad ferrum, & flammam vocabantur! cum ego te Flacce, cœlum noctemque contestans &c.*

Tertium sit exemplum pro domo sua numer. 89. ab his verbis. *O speciem dignitatemque Populi Romani quam nationes exteræ, quam Gentes vltimæ pertimescant &c.*

Traductio adhibetur ad suauitatem

ora-

orationis. Exempl. pro lege Manilia, num. 17. ab his verbis. *Quamobrem quidquid in hac causa mihi susceptum est, quirites &c.*

Polyptoton ad venustatem, & vehementiam orationis adhibetur. Estque oratio eorundem casuum varietate distincta. Vt orat. de Arusp. num. 152. ab his verbis; *Tibi verò si diligenter attenderis &c.*

Synonimia orationi grauitatem addit, & acrimoniam. Exempl. *An verò vos soli ignorantis, vos hospites in hac vrbe Versamini, vestra peregrinantur aures neque in hoc peruagato, sermone versantur*. Alterum sit Exemplum, pro Murena, numer. 1. *Quæ precatus à Dijs immortalibus, iudices, more institutoque maiorum, illo die quo auspicato Comitijs Centuriatis, & Lucium Murenam Consulem renunciaui, vt ea res mihi magistratuique meo, Populo, Plebique Romana bene atque feliciter eueniret.*

Tertium sit exemplum in Pisonem, num. 47. *Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non Tragico illo Oreste aut Athamente dementiorem te putem, qui sis ausus &c.*

Polysyndeton adhibetur cum instamus, & aliquid vrgemus. Exemplum sit *tectumque, laremque, armaque &c.*

Deni-

Vsus figurarum, ac 3. earum quæ fiunt per similitudinem vocum.

PAronomasia adhibetur vel ad delectandos Auditores, vel ad pungendum Aduersarium. Vsurpatur etiam ad Iocandum; tumque multiplicatur, vt quasi aculeis multis aduersarius carpatur.

Isocolon suauitatis plurimum habet, & se se in animum penitùs insinuat. Vt pro Flacco, numer. 74. *Repete à Deciano non pecuniam, non prædia, Socrum denique sibi habeat restituat vxorem, reddat misero patri filiam: nam membra quæ debilitauit, lapidibus, fustibus, ferro; manus quas contudit, digitos quos confregit, neruos quos concidit restituere non potest filiam, filiam inquam ærumnoso patri redde.*

Ibidem num. 88. *O conditiones miseras administrandarum prouinciarum, in quibus diligentia plena simultatum est; negligentia vituperationum; vbi seueritas periculosa est, libertas ingrata, sermo &c.*

Tertium sit. *Hoc sentire, prudentiæ est, facere, fortitudinis; & sentire verò, & facere perfectæ cumulatæque virtutis.*

Quartum sit. *Cum tristibus seuerè, cum*

cum remissis iucundè, cum senibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinorosis audacter.

Quintùm sit. *Debere tibi dicit Quinctium, Procurator negat; vadem vis, permittit, in ius vocas, sequitur; iudicium postulas, non recusat.*

Sextum sit *Quas res luxuria in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in contumelijs efficere potuisset.*

Anthitheton non exiguam vim habet ad vrgendum, plurimumque affe t delectationis. Videatur exemplum Philippica II. ab his verbis. *O multò miserior Dolabella, quàm ille, quem tu miserrimum esse voluisti &c.*

Commutatio adhibeatur ad vrgendum.

Correctio, cum est figura verborum valet ad vrgendum.

Exemplum sit, *Atque hæc Ciues, Ciues inquam, si hoc nomine eos appellari fas est.*

Dubitatio vsurpatur cum aliquid remouere volumus, vel vt liberiùs aliquid dicamus, ita tamen vt asserere non videamur Exemplum sit pro Roscio Amerino nu 33 ab his verbis. *Quid primũ querar, vnde primum exordior, &c.*

Similiter desinens, seu cadens non parum delectat, facitque ad numerum periodi.

Vsus

Vsus Figurarum & 4. earum quæ sunt figuræ sententiarum.

INterrogatio vſurpari ſolet in laudationibus, vituperijs, votis deſiderijs, alijſque eiuſmodi motibus exprimendis. Adhibetur etiam vt aduerſarium vrgeamus, v.g. 1. Æneid. v. 373. *Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris; quoue tenetis iter?*

Reſponſio vim eandem habet atque interrogatio.

Subiectio plena eſt exornationis, vſurpaturque ad amplificationem vel in laude, vel in vituperio aut cum aliquid vrgemus, ſuademus, aut diſuademus; denique cum docemus, aut refellimus.

Exemplum ſit pro Muræna, num. 88. ab his, verbis. *Si (quod Iupiter omnen auertat) hunc veſtris ſententijs afflixeritis; quò ſe miſer vertet? domumnę? vt eam imaginem chariſſimi viri parentis, ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? an ad matrem? quæ &c.*

Alterum ſit exemp. pro Comædo, num. 25. ab his verb. *Formulam non noras; notiſſima erat iudicio grauiora*

R expe-

experiri volebas? quid ita? &c.
Tertium, sit Verrina 5. n. 205. ab his verb. *Quid ad hac Hortensius? falsum esse crimen? hoc nunquam dicet: magnam hac ratione pecuniam captam? nè id quidem dicet: non iniuriam &c.*

Quartum sit Verrina 7. numer. 5. ab his verb. *Quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam virtute sua liberatam magna laus! & honesta oratio! sed tamen quo bello? &c.*

Correctio, cum est figura sententiarum, non parum vrget Exemplum sit pro Cælio, num. 33. *Quod quidem facerem vehementiùs, nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro; fratrem volui dicere, semper hic erro, nunc agam modicè.*

Alterum sit pro Milone num. 101. ab his verbis. *Me vna consolatio sustentat, quod tibi, ò Tite Anni, nullum à me amoris, nullum studij, nullum pietatis officium deficit: ego inimicitias potentium pro te oppetiui, ego &c.*

Occupatio seu prolepsis, vsurpatur in exordijs, refiutationibus, & probationibus. Exemplum pro Rosc Amer. num. 1. *Credo ego vos, iudices, mirari quid sit quòd cùm tot, summi oratores homines que nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim is qui neque ætate neque ingenio, neque authoritate sim*

cum

cum ijs qui sedeant comparandus.

Obserua de occupatione, quòd aliquando fiat, cùm orator fatetur quod obijci potest. Exemplum sit pro Rabirio, numer. 3. *Si quis est qui Caium Rabirium, quòd sua fortuna fundatas præsertim atque optimè constitutas opes potestati Regie libidinique commiserit, reprehendendum putet; adscribat ad iudicium suum non modò meam, sed huius etiam ipsius qui commisit sententiam: neque enim cuiquam eius consilium vehementiùs quàm ipsi displicet.*

2. Fiat, cùm orator emendat aliquid priùsquàm illud dicat.

Exemplum sit pro Sextio, numer. 3. *Atque ego sic statuo iudices à me in hac causa atque extremo dicendi loco pietatis potiùs quàm defensionis, querelæ quàm eloquentiæ; doloris, quam ingenij partes esse susceptas. Itaque si aut acriùs egero aut liberiùs quàm qui ante me dixerunt; peto à vobis, vt tantùm orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & iustæ iracundiæ concedendum putetis.*

3. Fiat, cum, antequàm velle videamur aliquid dicere, id ipsum dicimus.

Exemplum sit orat. 6. in Verrem. numer. 2. *Magnum videor dicere, atten-*

dite etiam quemadmodùm dicam, non enim verbi neque criminis causa augendi complector omnia, cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse; Latinè me scitote non oratoriè loqui.

4. Fiat, cum aliquid præsumimus; Exemplum sit pro Cælio, numer. 39. ab his verbis. *Dicet aliquis, est igitur tua disciplina? sic tu instituis adolescentes; &c.*

5. Fiat, cum infirmamus per præoccupationem id, quod ab aduersario obijci posset.

Exempl. sit 5. in Verrem num. 2. ab his verbis. *Quid agam, iudices; quò me vertam? quò accusationis meæ rationem conferam? ad omnes enim &c.*

6. Fiat, cum aliquid nobis obijcimus, & refutamus statim per obiectionem. Exempl. sit, pro Archia, num. 15. ab his verbis. *Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis prodita sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus offers; eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum: quid respondeam? ego multos homines &c.*

Denique fiat cum præmunimus nobis Auditorum animos, aduertendo diligenter, quò propendeant, quidue aduersarij intendant. Exemplum sit 7. in verrem

rem numer. 140. *At quam ob causam, Dÿ immortales? tametsi iniuriam facio communi causa, & iuri ciuitatis: quasi enim possit esse vlla causa cur hoc cuiquam Ciui Romano, iure accidat: Ita, quaro qua in seruilÿ causa fuerit: ignoscite in hoc vno, iudices, in cœteris enim non magnopere causas requiram.*

Dubitatio vsurpatur cùm, vt res exaggeretur, suspensus Auditorum animus teneri debet. Exemplum sit pro Quinctio, numer. 56. *Si ista causa abs te tota per summam fraudem, & malitiam facta est.*

Vsurpatur etiam in contentionibus. Exempl. sit 6. in Verre. num. 88. *Vnum hoc crimen videtur esse, & à me pro vno ponitur.*

Præthereà valet ad laudem, & vituperium. Exemp. sit pro Rosc Amerino, n. 29. ab his verbis. *Hec consilio, atque adeò hac immensa &c.*

Conuenit pariter timori, & dolori, nonnunquam hortationi. Exemp. sit pro Cluentio, n.4 *Equidem quod ad me attinet, quò me vertam nescio.*

Communicatio vsurpatur cùm ostendere volumus nos causæ nostræ confidere, & aduersarium refellimus Exemplum pro Cæcinna, num. 32. ab his verbis. *Hac res posita qua ab aduersario non negatur &c.* pro Sextio, numer. 43. pro

Quinctio, num. 54. *Ab his verbis. Ego pro te nunc consulo &c.* pro Cæcinna, num. 35. *Quæro si te hodie domum tuam redeuntem, &c.*

Valet etiam ad fidem faciendam, ad sedandam iracundiam. Vt pro Muræna num. 9. ab his verbis. *Quod si licet desinere &c.*

Denique ad commiserationem, & admirationem &c.

Prosopopœia vsurpatur in suasionibus, obiurgationibus, laudationibus, quæstionibus, & commiserationibus. Exemplum pro Cælio, num. 33. ab his verbis. *Sic obiurget mulierem, & pro me loquatur.* 1. in Catil num. 27. ab his verbis. *Etenim si mecum patria, &c.* Pro Milone, numer. 49. ab his verbis, *me quidem, Iudices exanimant, & interimunt hæ voces.* Pro Balbo numer. 44. *Existat ergo ille vir parumper, &c.* Actiones 7. in Verr. numer. 135. ab his verb. *ipse pater si iudiciaret,* 1. in Catil. *Quæ tecum Catilina sic agit,* Act 7. in Verr. numer. 103. *Occurebat illa ratio.* Pro Balbo numer 13. *Verum enim inscientem vultis, &c.* 7. in Verr. numer. 109. *Catenas habeat hospes tuus.* Pro Quintio, 71. *De re pecuniaria contendere cupio.* Pro Plancio numer. 65. *at ego cum casu diebus illis, &c.* Eadem orat. num. 18.

Apo-

Apoſtrophe vſurpatur, cùm aduerſarius vrgendus eſt, vel increpandus. Exemplum ſit pro Ligario num. 9. *Quid enim Tubero, &c.* Verrina, 3. numer. 77. ab his verbis. *Nemo iam Dollabella, &c.* 1. Catilinaria nu. 1. *Quo vſque tandem abutere &c.*

Vſurpatur etiam in laudibus. Exemplum Philipp. 14. *O Fortunata mors, &c.*

Item in cohortationibus. Exemplum ſext. numer. 101. *Propugnatores autem Reipub. &c.*

Item in commiſerationibus. Exempl. pro domo num. 113. *O Quinte Patrem ne appellem, &c.*

Item in vituperationibus.

Denique in amplificationibus tum ad delectationem, tum ad miſerationem, admirationem, indignationem.

Hypotypoſis vſurpatur in rerum deſcriptionibus, narrationibus, amplificationibus, & exornationibus. Exemplum pro Roſc. Amerino. nu 98. 7. Verrem nu. 105. ab his verbis. *Hæc poſt quam, &c.* num. 141. ab his verbis, *Hæc cum, &c.* Item 11. Philipp. num. 7. ab his verbis, *Ponite igitur ante oculos.*

Apoſiopeſis ſeu reticentia adhibetur maximè in motibus doloris, iracundiæ, ſollicitudinis, & moleſtæ ambitionis.

Ethopœia plurimum valet ad ornatum.

2. Ad motus excitandos siue amoris. Exempla sint pro Sext. num. 18. ad 20. ab his verbis. *Quorum si nondum scelerata &c.*

Emphasis adhibetur ad exaggerandum siue in laudem, siue in vituperium.

Sostentatio vsurpatur præcipuè in Narrationibus, nonnunquam in Exordijs, Item ad rem exaggerandam siue in laudem siue in vituperium. Exempla sint Verrina, 7. num. 10. *Res delata ad istum statim, &c.*

Item nu. 11. *Etiamnum mihi expectare videmini; Iudices* Philip. 2. nu 2. *Quid putem? contemptum ne me, &c.*

Valet etiam ad rem imminuendam. Exemplum pro Roscio Amerino numer. 39. *Patrem occidit S. Roscius, qui homo, &c.*

Denique valet in cauillationibus.

Prætermissio vsurpatur 1. in transitionibus.

2. In exaggerandis rebus.

3. In obiurgationibus.

Denique cum aliquid, quod dicimus, indecorum est.

Exempla sint orat, 1. in Rullum num. 21. *Non quaror diminutionem vectigalium.* 7. Verr. num. 34 *Iam verò cum in eiusmodi, &c.* 3. in Verr. num. 32. *Nunc mihi temporis eius &c.*

Adhibetur præterea cum volumus suspi,

ſuſpicionem rei mouere, maximè in conſultationibus, cum leuiora ſunt argumenta.

Licentia vſurpatur ad imminuendam Inuidiam facti quòd liberè prædicatur, Et pro Sylla numer. 33. *Itaque attende iam Torquate, &c.*

Vſurpatur etiam in minitationibus, vt pro Sylla n.46. *Fero ego te Torquate.*

Adhibetur quoque ad fiduciam oſtentandam, vt 1. in Rullum num. *Erraſti Rulle vehementer, & tu, & nonnulli.*

Item ad inſultandum aduerſario, vt pro domo ſua num. 99. *Quare diſrumpatur, &c.*

Item ad obiurgandum. Vt Philip. 18. *Vos Patres conſcripti graue, &c.*

Item ad commouendum, vt Philipp. 1. num. 19. *Poſtremò erumpat aliquando, &c.*

Denique vſurpatur in aſſentationibus. Vt pro Marcello num, 27. *Itaque illam tuam præclariſſimam, &c.*

Conceſſio vſurpatur cum noſtræ cauſę confidimus, & aduerſarium negligimus. Exempla ſint pro Quinctio numer. 56. *hæc ille ſi verbis, &c.* Pro Roſcio Amerino numer. 63. *Vtrùm quid agatur non vides, &c.* 4. Verrem numer. 46. *Quæ eſt illa Prætura, &c.* 5. Verr. numer. 16. *Quæ in re illud primum reprehendo &c.*

Hæc figura non parum habet iucunditatis cum in contentionibus, & controuersijs vsurpatur &c.

Parenthesis adhibetur ad rem magis explicandam, & rationem breuiter subijciendam.

Ironia vsurpatur cum ludimus aduersarium, vel aliquid simulare volumus, aut irridere, vel extenuare. Exempla sint Verrina 6 nu 86. *Erat hyems summa, &c.* pro Rabirio num. 13. *Namque hæc tua.* Pro Cluentio numer. 58. *Cùm callidissimè se dicere putaret, &c.* pro Cluent. III *Facite enim vt non solum.* In Pison num 62. *vt audistis Philosophi vocem.* Pro Milone num. 10. *Sed stulti sumus qui, &c.*

Distributio siue partitio plurimum valet in amplificationibus, nec parum habet suauitatis. Et præsertim vsurpatur in genere Demonstratiuo. Exempla sint in Pisonem numer. 64. *Age senatus audite &c.*

2. Catil. n. 7. *At verò huius gloria Cæsar &c.* Orat. de Prouincia Consulari n. 45. *Ecce illa tempestas, caligo &c.*

Permissio vsurpatur cum vel nobis vel iudicibus, vel auditoribus confidimus nec mali quicquam vereri nos ostendere volumus.

Deprecatio siue Obsecratio adhibetur cum indigeamus ope alicuius, vel motu

in aliquem siue timoris siue audaciæ, temperare volumus. Exempla sint pro Rabirio nu. 5. *Quæ cùm ita sit primùm quòd in dimicatione capitis &c.* Pro Milone numer. 93. *Quid restat, nisi orem &c.* pro Deiotaro num. 8. *Quamobrem hoc nos primum &c.*

Valet etiam in hortationibus, & Admonitionibus, & motibus excitandis gaudii, beneuolentiæ, &c.

Eleganter autem tractatur per repetionem, per sustentationem, & per congeriem.

Optatio plurimum valet ad dolorem significandum, timorem, spem, &c.

Execratio seu imprecatio vsurpatur. Exemplum Philipp. 6. numer. 12. *Igitur est patronus L. Antonius.* Philipp. 13. numer. 48. *Quin tu abis in malam pestem.*

Epiphonema seu acclamatio vsurpatur in admiratione, fitque vel ad commendationem, vel ad commiserationem excitandum.

Exclamatio solet terminare rem aliquam insignem. Valetque ad concitandos motus indignationis, misericordiæ, iracundiæ; multumque habet suauitatis. Exempla sint pro Sext. nu. 7. *O diem illum funestum.* Philipp. 2. numer. 68. *Ad eiusdem ædes, & hortos, ò audaciam, &c.* pro Cæl. nu. 71. *O stultitiam*

stultitiam dicam. Pro Sylla num. 91. *ò miserum & infelicem diem! ò pestis &c.*

CAPVT IV.

Vitrutes Elocutionis.

Articolus primus, de Euidentia.

EVidentia seu græce energia est repræsentatio rei tam clara vt oculis veluti spectanda proponatur.

Hæc repræsentatio duobus modis fieri potest, 1. breuiter 2. longiori oratione.

Vtrumque fit 1. per descriptiones, & per similitudines ex rebus familiaribus assumptas.

2. Per emphasim aut per præcisionem, de vtraque superius.

Articulus 2. de Grauitate.

GRauitas quæ dinosis græcè appellatur, facit vt indignitas rei tanta videatur, quanta est, etiam & interdum maior. Quisque videat pro sua indole, quo artificio eam sibi comparare possit.

Art.

Art. 3. de Copia.

COpia requirit 1. vt quidquid aptè, & commodè pro argumento dici potest, illud non prætermittatur. 2 Vt quæ proferimus, ea pluribus exponamus. Vide quæ superiùs dicta sunt de exornatione, & collectione Cauenda tamen est Tautologia, *hoc est* eiusdem verbi vitiosa repetitio; pariter etiam fugiendus est Asiatismus, *hoc est* prolixior oratio quàm parsit.

Art. 4. de Varietate.

VArietas desideratur primò in rebus: propterea consulendi sunt Authores tum nostri, tum Ethnici; addendæ sunt sententiæ; attexenda exempla; inserenda similia; adiungenda sunt apophegmata; modo vtendum est grandi stylo, modo infimo, modo mediocri siue temperato; nunc figuræ ad docendum, nunc figuræ ad flectendum, nunc aliæ ad delectandum adhibendæ sunt; hic oratio vehementior, illic moderatior esse debet; nonnunquam ratiocinari conuenit, postea vti subiectione, aliquando sorite, interdum oppositione, & ita de cæteris argumentandi generibus.

Qui-

Quilibet Rhetoricæ locus plures alios non raro includit, & in eadem argumentatione plura reperiuntur argumentationum genera, quæ pariter varijs figuris distinguuntur. Denique Phrasis variari debet, v.g. hoc modo: si dixeris. *Non est miserum mori*, ego variata phrasi dicam *Vsque adeone mori miserum est?* vel, *adeo miserum est mori scilicet*, vel, *Bone Deus quam miserum est mori*, vel, *in morte tanta miseria non est*, vel, *nihil est in morte, quod adeo miseros nos efficiat, &c.*

CAPVT V.

Elocutionis Vitia.

ELocutionis Vitia tot sunt, quot sunt eius virtutes oppositæ de quibus actum est suo loco. Hæc adduntur insuper elocutionis vitia. Quorum primum est deformitas, quando scilicet oratio turpis est ac fœda, sed vt ab ea vehementer abhorret ingenua omnis indoles, ita illam obliuione conterendam esse puto.

2. Est tapinosis, nempe cum oratio dignitati rei non conuenit, sed eam humiliùs tractat.

3. Est

3 Est tautologia, quæ est, cum idem verbum vel sententia non ornatus, sed inopiæ causa repetitur, vel cum idem per idem sæpius decantatur.

4. Est pleonasmus, hoc est quando vocabulum additur superuacaneum.

5. Est Macrologia quę fit cum iusto longior sermo est.

6. Cacozelon, id est mala affectio. Incurritur autem hoc vitium quando ingenium iudicio caret.

7. Brachilogia quæ accidit, cum de re graui nimis breuiter, & concisè loquimur.

8. Miosis seu diminutio, quæ fit cum, pluribus quidem verbis vtimur, sed tenuioribus pro rei grauitate.

9. Bomphiologia, hoc est tumiditas, quæ contingit, cum res leuiores nimis magnificè extolluntur.

10. Asiatismus, qui fit cum multa sunt verba, res autem nullæ.

11. Homæologia, fitque quando nulla est elocutionis varietas.

12. Picilogia, quæ tunc accidit, cùm nihil proprium est, sed omnia sunt figurata, & vt ita dicam scurriliter pictura-ta & consuta.

13. Periergia, quæ fit cum in re leui copiosam orationem consumimus.

14. Cacophonia, contingitque cum litteræ syllabæque collidi, & stridere duriùs videntur.

15. Oni-

15 Arithmon, fitque cum numeris caret oratio.
16. Oniconomiton, quod reperitur vbi nulla est orationis œconimia Cauendum est denique ne oratio sordidior sit, ne sit sterilis, & ieiuna, ne molesta sit, ne non florida, ne ingrata, ne non satis accurata meritò iudicetur.

CAPVT VI.

Articulus I. De Transitione in communi.

Transitionis definitio. TRansitio est oratio breuis, quæ quod dictum est proponit, & de eo quod dicendum est monet, eiusque beneficio maxima cum varietate, non modo ab argumentationibus alijs in alias, sed etiam à partibus vnius argumentationis ad alias eiusdem argumentationis partes transimus: quapropter non tantùm orationis connexio pendet ex transitione, sed fere omnis succus, & quasi color styli Ciceroniani.

Trasitionis varietas. Transitio autem tam varia est, quàm varia est materia, qua de agitur, vel etiam quàm variæ sunt figuræ sententia-

tiarum ; eſt enim varietas exquiſita in argumentando , cùm adhibetis varijs ornamentis Rhetoricis , tranſimus ab vno ad aliud.

Si fieri poteſt , acuminis aliquid in tranſitione reperiri debet , & ita obrepit, vt tranſire minime videatur. Atque vt aliquot exempla ſubijciam , has Ciceronis & aliorum authorum tranſitiones propoñõ.

Art. 2. Varia tranſitionum exempla.

PRimum exemplum ſit , *ſed hæc robuſtioris improbitatis ſcelera omittamus , loquamur potiùs de iniquiſſimo genere lenitatis.*

2\. *Magna hæc , ſed ad maiora preparat oratio.*

3\. *Satis multa de turpitudine , dicam deinceps de periculo , &c.*

4\. *Dixi de periculo , docebo nè congmentari quidem poſſe pacem : de tribus enim , quæ propoſui , hoc extremum eſt. In patriam cuiuſmodi fuerit , habetis , nunc in parentes qualis extiterit conſiderate.*

5\. *Nequeo verbis conſequi , Iudices , indignitatem rei.*

6\. *Nolite , Iudices , ea quæ dixi ſepa-*

paraEtim spectare, sed omnia colligite & conferte in vnum.

7. *Nihil dicam reconditum nihil expectatione dignum, nihil aut inauditum vobis aut quicquam nouum.*

8. *Princeps ciuitatis, quos idcirco non appello hoc loco, nè mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur.*

9. *Veniamus ad ludos, &c.*

10. *Nolite, Iudices, breuitate orationis meæ potiùs quàm rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare: mihi enim properandum necessariò est vt omnia vobis, quæ mihi constituta sunt, possim exponere: quamobrem quæsturæ ipsius demonstrata, reliqua attendite.*

11. *Dixi iam antea Iudices, me omnia istius quæ in hoc genere essent, non enumeraturum, sed electurum ea, quæ maximè excellerent: accipite nunc aliud eius facinus.*

12. *Dictum est, Iudices de decumano frumento dictum de empto, extremum & reliquum est de æstimato.*

13. *Vultus vestri, Iudices, me inuitant vt quæ reticenda putaram, libeat iam liberè dicere.*

14. *Habetis, Iudices, quæ in totam vitam de moribus Cluentij accusatores collegerunt, quàm leuia genere ipso,*

so,

so, quàm falsare, quam breuia responsione, cognoscite.

15. *Vnum erat reliquum, si bene memini, vt docerem, &c. hoc aggrediar, &c.*

16. *Possem hoc loco euagari latiùs, nisi me temporis ratio admoneret: sed ab hac molesta narratione abducamus animos.*

17. *Date oculos, qui aures hacte præbuistis, vt.*

18. *Bellè me vocat ad alteram orationis partem amici mei gloria &c. proposueram enim &c. pudet me toties à breuitate, qua mihi proposueram, aberrasse: sed materia grauitas & amplitudo me rapit &c.*

19. *Scio me in rebus peruagatis versari, sed earum recordatio animos nostros excitare debet: repetite igitur &c.*

20. *Dicam audaciùs fortassè, sed tamen verè, &c.*

21. *Feliciter cecidit ad vt pietatis officia descenderem.*

22. *Possem equidem eadem quoque de cæteris commemorare, sed nè molestus videar, adeste mecum animis & quo me dudum Oratio mea rapit contendentem beneuolentia vestra subleuate.*

23. *Facit in me audiendo vestra singularis humanitas, vt faciliorem*

ad

ad reliquas orationis partes cursum fore mihi pollicear.

24. Maximè vellem, vt quantùm mihi vos in tanta rerum multitudine attentionis ac beneuolentiæ commodastis, tantùm mihi tempus facilitatis ad dicendum atque opportunitatis concederet, ego penetrarem in eius arcana, docerem que.

25. Nunc quoniam temporis angustiæ tantam rerum multitudinem capere non possunt, ego humanitate vestra fretus, à grauioribus ad mitiora meam orationem tantisper animumque conuertam.

26. Sisterem hic, nisi vna me cogitatio subleuaret, quod &c.

27. Atque vt illius temporis atrocitatem recordari possitis, audite.

28. Verum hæc prætermittamus, festinat enim oratio mea ad præcipuum accusationis caput.

29. Etiam nunc mihi expectare videmini quid deinde factum sit.

30. Non aggrediar ad illa maxima atque amplissima, priusquam docuero.

31. Possum multa dicere de liberalitate illius, sed mihi ante oculos obuersatur Reipubl. dignitas quæ me ad se rapit, & hæc minora relinquere hortatur.

32. Aliquando ad hæc propiùs ve-
niam,

niam, quanquam non est omittenda singularis illa integritas.

33. Ad Tribunatum, quia ipse ad se iamdudum vocat & quodãmodò ascribit orationem meam, cõtento studio cursuque veniamus. Sed necesse est, antequam de eo dicere incipiam, &c.

34. Vultum atq; incessum animis intuemini, faciliùs facta eius occurrent mẽtibus, si ora ipsa oculis proposueritis.

35. Etsi me attentissimis animis summa cum benignitate auditis, Iudices, tamen vereor nè quis fortè vestrum miretur quid hac mea oratio tam longa ac tam altè repetita velit, &c.

36. Ab Illustribus electa authoribus eligere constitui, ut documenta sumere volentibus longè inquisitionis labor absit, quis enim omnia, quæ gesta sunt, modico voluminum numero conprehenderit?

37. Obruitur etiam tot Illustribus Consularibus; LF Bibaculus, vixque post Marcellum locum inuenit, sed pij simul ac Religiosi animæ laude fraudandus non est.

38. Verùm quid ego fortissimos in hoc genere prudentiæ viros laudem?

39. Dandum est etiam aliquid loui alienigenis exemplis, &c.

40. Non patiuntur me tenuioribus exẽplis diutiùs insistere Fortissimi Duces.

41. Com-

41. Complura huiusce notæ Romana exempla superant sed satietas modò vitanda est: itaque stylum meum ad externa iam delabi permittam.

42. Toties laudatio Marcelli variari potest, quoties nobis ipse gradibus aduersùs, socios moderatione vsus est.

43. Sed vt à laudibus eius ad facta veniamus.

44. Sed quid externa attingo, cum domesticis priùs liceat vti?

45. Armet se duritia pectus necesse est, dum horrida ac tristis seueritatis acta narrantur, vt omni mitiori cogitatione posita, rebus auditus asperis vacet.

Art. 3. Artificium transitionis.

Varij modi transitionis.

CVm transitio vnum sit ex præcipuis Eloquentiæ ornamentis operæ pretium videtur esse, vt pauca hic de illius artificio discutiamus.

Varij sunt modi transitionis, ijque ferè omnes continentur in figuris sequentibus, quas imitari quiuis cum voluptate poterit.

Prima sit interrogatio, quæ maximè auditorem excitat.

2. Subiectio, quæ plurimum habet ornamenti.

3. Anteoccupatio, quæ frequentissima

ma esse solet, cum per eam occurramus obiectionibus aduersariorum, soletque habere sequentem interrogationem. V. orat. pro Milone, sect. 36. & ibidem sect. 54.

4. Correctio, quæ certè eximia est.

5. Dubitatio, v.g *quo me vertam nescio, &c.*

6. Communicatio, quæ valdè affinis est dubitationi.

7. Prosopopœia, quæ præclarissima est, plurimùmque maiestatis habet, V. orat. pro Milone, num 78.

6. Apostrophe. quæ frequentissima esse solet, magnamque habet varietatem.

9. Hypotyposis, quæ singularem habet emphasim.

10. Sustentatio.

11. Prætermissio, vt *nihil dico quid respublica, &c. omitto socios exteros, &c.*

12. Licentia, vt *Vide quam non reformidem &c.*

13. Concessio, vt *Excitate, excitate eum si potestis ab inferis, &c.*

14. Ironia, vt *Cur igitur eos manumisit? metuebat, &c.*

15. Distributio, vt *Nunquid igitur aliud in iudicium venit: &c.*

16. Parenthesis, vt *Pace tua, patria, dixerim (metuo enim ne sceleratè dicam*

cam

eam in te quod pro Milone dicam) &c.

17. Deprecatio, vt *Quid restat nisi vt orem? &c.*

18. Optatio, vt *Vtinam Dij immortales fecissent, &c.*

19. Execratio, vt *Dij te perdant fugitiue, &c.*

20. Epiphonema, vt *Vide quam varia commutabilisque fort una! &c*

21. Exclamatio, vt O *me miserum! o infelicem! &c.*


22. Facti quasi pœnitentia, vt *Quid ego plura disputo? quid ego argumentor? &c.*

23. Hæsitatio, vt *Quid iam restat &c.*

24. Recapitulatio, vt *Video autem constare omnia, &c. Videamus quod caput est, &c.*

25. Collatio superiorum cum sequentibus, vt *Quod si nondum cernitis post tot tamque clara argumenta, quid &c. reuocate in memoriam, &c.*

26. Denique desitio quædam disputationis, vt *Sed iam satis multa de causa, &c.*



CAPVT VII.

Praxis Rhetorica, seu idea eloquentia.

CVm ſelegeris argumentum orationis tuæ vel ad laudem aut vituperium? vel ad ſuadendum aut diſſuadendum? vel ad accuſandum aut defendendum.

1. Percurres locos Rhetoricæ tum intrinſecos tum extrinſecos, & ex ijs aptiores ad rem tuam confirmandam vſurpabis. Non tibi parum proderunt obſeruationes allatæ ſuperiùs de accommodatione locorum Rhetoricæ ad quoduis genus cauſæ.

2. Conſules varios argumentandi modos, & ſtatues, quem adhibere velis ad ſingulos Rhetoricæ locos.

3. Vnamquamque argumentationis propoſitionem amplificabis, prout viſum tibi fuerit, ſtatuendo prius, quæ tibi amplificationis ratio placeat.

4. Accommodabis figuras ad diuerſos argumenti tui ſtatus, nunc docendo, nunc delectando, nunc flectendo.

5. Denique tecum ages de diſpoſitione patium orationis: v. g. Vnde ducas exor-

dium; an sit addenda narratio, vel non aut quo artificio contexenda sit; quæ distributio, quæ diuisio facienda sit; an præcedere debeat confutatio, vel confirmatio; quæ argumenta discutienda sint in initio, quæ in medio, quæ in fine; qui motus concitandi sint; qui stylus obseruandus sit; quæ idoneæ sint transitiones ad præcipuas orationis partes. Omnia hæc, & singula oratoris munia suis locis habes explicata. Atque vt facilius rem conficias in quouis argumento tractando. Ciceronis orationem tibi propone, quam quidem integram non imitaberis, sed in œconomia præcipuarum partium, & argumentorum, atque in styli genere figurarumque ornatu, & transitionum varietate consectaberis, v.g. si aliquem defendis, Milonianam lege, orationem pro Sextio, &c. si inueheris in aliquem, consule orationem contra Pisonem, Consule Philippicam secundam, &c. si Reum accusas, lege Verrinas &c. si de re aliqua deliberas, vide Manilianam, orationem pro pace, &c. Obserua autem diligenter.

1. Animo concipiendam esse quæstionem, quam velis discutere.

2. Quæstionem in suas partes diuidendam, vt intelligatur quid probandum sit, quid amplificandum, quid non pro-

probandum, quid non amplificandum.

3. Reuocanda esse in memoriam, quæ vel audita, vel à te lecta fuerint aliquando, vt si ad rem faciant, adhibeantur.

4. Congesta materia orationis pergendum esse ad dispositionem oratoriam eo modo; quo dictum est.

LIBER V.

De Memoria.

CAPVT I.

De definitione, & diuisione memoriæ.

MEmoria est ex Cicerone rerum omnium Thesaurus; ex Plutarcho cella penuaria disciplinarum; ex Platone musarum omnium parens; ex authore ad Herennium, & ex ipso Cicerone, est firma animi rerum, & verborum dispositionis perceptio.

Memoria duplex est. Altera Naturalis, Altera Artificialis: Naturalis, est à natura Artificialis, exercitatione, & artificio comparatur.

Ars memoriæ potissima, est exercita-

tio: Monetque Cicero, vt quod singulis diebus dixerimus audiuerimus, egerimus, vesperi commemoremus.

CAPVT II.

De memoria præceptis.

HÆc tradi possunt memoriæ præcepta.

1. Vt cùm aliquid ediscimus, cogitationem aliam deponamus.

2. Vt cùm aliquid longiùs memoriæ comprehendere volumus, illud per partes addiscamus, easque breues faciamus, non tamen plures.

Memoriæ præcepta. 3. Vt chartæ nostræ margini notulas aliquas appingamus, easque ludicras, & conuenientes sermoni, v. g. vbi de prælio agitur, pingatur prælium; vbi de naue, pingatur anchora, &c.

4. Vt cùm memoriter addiscimus, clara voce pronunciemus, Expedit tamen aliquando, vt tacitè addiscamus.

5. Vt oratio nostra legitimè diuisa sit, & in suas partes scripto distincta.

6. Vt nocturnam quietem, si licet, adhibeamus.

7. Vt affectum nullum vehementiorem admittamus.

8. Vt

8. Vt cibis & vino temperatè vtamur. Denique vt corpus animusque integritatem seruent.

LIBER VI.

De Pronunciatione.

PRonunciatio tria complectitur 1. actionem, 2. pronunciationem ipsam 3. gestum.

CAPVT VI.

De actione.

ACtio efficacissima est ad omne momentum persuasionis, estque conformatio quedam gestus totiusque corporis cum orationis argumento, vel est pars eloquentiæ, quæ vocis, corporisque motum rerum, & verborum dignitate cum aliqua venustatem moderatur.

Cauendum est in actione.

1. Ne nimis sit delicata, & nimis curata. Actionis vitia.

2. Ne sit frigior, & nimis vasta.

3. Ne sit frigidior, & intemperantia.

4. Ne ſit deformior.

5. Ne ſit iuuenilior tum in iactantia tum in oſtentatione: ſed requiritur in ea prudens moderatio, & pro varietate argumenti, varietas.

CAPVT II.

De Voce ſiue pronunciatione.

IN voce ſeu pronunciatione præter dicta, hęc cauenda ſunt.

1. Ne canere videamur.

2. Ne eodem tenore ſeu cum monotonia pronunciemus.

3. Ne furioſam, & vlulantem vocem imitemur.

4. Ne ſupra vires vox augeatur.

5. Ne longiori ſpiritu protrahatur.

6. Ne ſuſpirijs interrumpatur.

Pronunciationis vitia.

7. Ne naribus potiùs quàm ore efferi videatur.

8. Ne nimium ſit præceps.

9. Ne ſit nimium clamoſa.

10. Ne ſit tardior.

Hæc autem ad pronunciationem requiruntur.

1. Vt ſit facilis, Vrbana, & pro varietate rerum diſtincta.

2. Vt

2. Vt sit articulata, & legitimis interpunctionibus distincta.

3. Vt extremæ syllabæ non absorbeantur.

4. Vt sit æquabilis, continua, & clara.

6. Vt sit firma, & pro varietate argumenti diuersa, nempe in blanditijs, & precibus lenis, & submissa; in suasionibus, monitionibus, pollicitationibus, & consolationibus grauis; in metu contracta; in hortationibus fortis; in disputationibus teres; in miserationibus flexa, & flebillis; in expositionibus recta; in affectibus concitatis vehementior, aliquando obscurior, sed pro genere argumenti, verb. grat. in iracundiæ motu incitata; In miserationis motu interrupta plena, & flebilis; in timoris motu demissa, hæsitans, & abiecta. In voluptatis motu effusa, lenis, tenera, hilaris, ac remissa; Denique in molestia grauis, & pressa. Pronunciatio virtutes.

CAPVT III.

De gestu.

GEstus, qui dicitur loquax silentium, plurimum confert ad perfectionem oratoris.

Art. 1. De Compositione gestus.

Gestus compositio. GEstus corporis debet esse conformis animi motibus.

Caput. Primo Caput aptè componendum est, nempe secundum naturam rei; nam capitis demissio abiectionem animi significat, & capitis erectio superbiam: quare motus accipere varios debet, pro varietate gestus manuum, laterum, totiusque corporis, aspectus enim semper vertitur, quo gestus, nisi cum aliquid damnatur, aut remouetur. Cauendum est autem, ne iactetur caput.

Vultus. 2. Vultus componendus est pro ratione argumenti, ita vt videatur modo supplex modo minax, nunc blandus, nunc tristis, nunc hilaris, aliquando erectus, aliquando submissus.

Oculi. 3. De oculis idem est dicendum.

Supercilia. 4. Supercilia modo sint immota, modo moueantur, nunc inæqualiter dissideant, nunc contrahantur, aliquando diducantur, pro vt argumentum postulat.

Ceruix. 5. Ceruix debet habere suam conformationem, hoc est, non sit rigida, vel supina.

Humeri brachia. 6. Humeri, & brachia sic componenda, sunt, vt decenter attollantur, porrigantur, & contrahantur.

7. Ma-

7. Manus ita conformari debent, vt loqui videantur, hunc poscendo, nunc minando &c. licet autem manus plurimum conferant ad rei expressionem, non tamen, quæ minus decent, vel quæ humiliora sunt, debent exprimere. Digiti quatuor in sinum leniter cogi solent. Gestus digitorum, & totius manus à sinistra parte inchoantur, & in dextra deponuntur. Pectus; & latera non proijciantur. Pedes denique modestè componantur. Obserua autem quod quamuis cura hæc auditores delectet. Cauendum tamen sit à quibusdam nugis vt si v.g. caput quis mulceret, manum intueretur, articulos infringeret, faciem proferret, capillos retro ageret, clariùs excrearet, pedem alterum longiùs proferret, stare diductus, vel rigidus, vel supinus, vel incuruus &c. Manus.

Exordio læta pronunciatio conuenit, non tamen semper. Narratio manum prolatam, gestum distinctum, & sonum simplicem postulat. Qui gestus conuenia partibus orationis.

Contentio variam, & multiplicem actionem desiderat.

Argumentatio acrior plerumque est.

Digressiones solẽt esse leniores, Epilogus festinationem ad mouẽdos auditores requirit; ad placandos, inclinatam quandam lenitate; ad misericordiam, inclina-

 tam

tam vocis, & senilem suauitatem dicam ne fuscam vocem.

Art. 2. De gestus vitijs.

Gestus vitia.

CAuendum est in gestu nè nimiùs sit, & nimis actuosus: sed curandum, est diligenter, vt accommodetur ad rem, quam exponimus.

Est etiam præcipuè adhibendus in affectibus animi.

Denique obseruandum est 1. non oportere manum sinistram moueri solam, nisi per contemptum.

2. Moueri debere sinistram cum dextra, cui accommodatur.

3. Dextram moueri sæpe solam.


4. Vtramque manum, cum mouetur, conformari debere ad significationem verborum, & quasi rem, & locum indicare.

5. Oculos, totumque vultum exprimere debere animi affectum, quem præferimus.

6. Denique gestum omnem ita componendum esse, vt nihil ingrati, & molestiæ habeat.

F I N I S.

IN-



INDEX LIBRORVM, Capitum, & Articulorum.



LIBER PRIMVS.

De Arte Oratoria.

LIBER SECVNDVS.

mi-

SECVNDA PARS.

Inuentionis.

6. De

LIBER TERTIVS.

Prima Pars.

Art.

Art.

SECVNDA PARS.

SECVNDA PARS.

rerum

Art.

art.

art.

LIBER QVARTVS.

Elocutio.

PARS PRIMA.

Caput Primum.

Art.5.

PARS SECVNDA.

Libri Quarti.

De Elocutione.

Art. 3.

LIBER QVINTVS

De Memoria.

LIBER SEXTVS.

De Pronunciatione.

FINIS.

